Geyso, Aemilius de
Studia Theognidea

STUDIA
THEOGNIDEA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS DE GEYSO

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

MDCCCXCII.

STUDIA
THEOGNIDEA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS DE GEYSO

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

MDCCCXCII.

Von der Facultät genehmigt am 1. August 1892.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM

PRAEFATIO.

Iam diu viri docti cognoverunt, collectionem, quae sub Theognidis nomine nobis tradita est codicibus, Theognidis ipsius opus non esse, sed de vero Theognide nihil nisi fragmenta superesse, quae postea ab ignoto homine una cum aliorum poetarum reliquiis in syllogae formam composita essent.

Quod praecipue probandum est de iis carminibus, quae politicum quoddam tractant argumentum; reliqua carmina integra fere esse videntur, cum pleraque communem contineant sententiam proverbii more, et uno vel pluribus distichis bene concludatur sententia.

Distingui possunt carminum tria genera — omitto interim appendicem inde a v. 1231 (ἐλεγείων β cod. Mut.), quam partem Welckerus nominavit Μοῦσαν παιδικήν — primum ea, quae politici sunt argumenti sive generalem exprimunt sententiam politicam sive ostendunt, quae ratio intercesserit poetam inter et civitatem Megarensium, tum carmina moralia Cyrno potissimum destinata, denique ea, quae profecta sunt ex consuetudine, qua usus est poeta cum amicis. Omnigena illa carmina per totam syllogen dispersa sunt.

Saepe iam studebant viri docti ordinem quendam invenire, quem secutus auctor collectionis carmina collegisset (cf. Welcker, proll. ad edit. Theogn. pag. 106, quem secuti sunt Nietzsche, Rhen. Mus. XXII pag. 161 sqq. et Fritzsche, Phil. XXIX pag. 256 sqq.).

Quo cautius Welckerus, vir doctissimus, rem tractavit, cum recte animadverteret nonnullis locis collectionis idem verbum (*Stichwort*) in pluribus deinceps carminibus reperiri, eo magis modum excessit Nietzschius, Welckerum secutus. Nam per totam collectionem hunc ordinem exstare suspicatus omnibus locis, quibus illum turbatum esse vidit, — neque pauci sunt — lacunam statuit, quam supplere ita instituit, ut ex alio loco collectionis versus peteret eosque insereret, ubi lacunam statuit, sed

ita ut non tam easdem vel similes sententias spectaret, quam verba similia. Quod ut auderet, eo praecipue motus est, quod revera inde a versu fere millesimo non pauci versus repetiti inveniuntur, quod, quomodo explicandum sit, in altera parte nostrae commentationis tractabimus. Nietzschiana ratione nihil probari posse, inter viros doctos nunc constat.

Alii fuerunt, qui conicerent ad scholae usum hanc syllogen factam esse adhibito Platonis loco in legg. VII, 810ᵉ et Isocratis in orat. ad Nicocl. 43 nisi (cf. J. Sitzler, proll. ad edit. Theogn. pag. 13, H. Schneidewin, de Theognide eiusque fragmentis in Stob. flor. servatis, Geestemünde 1882 pag. 2, Wilamowitz, Heracles I pag. 171).

At recte iam monuerunt Nietzsche l. l. p. 178 et E. Hiller, Fleck. Jrbb. 123 p. 471 multos versus syllogae huic consilio non modo non aptos esse, sed etiam contrarios (cf. vv. 993 sqq., 1045 sq., 1039 sq., 1129 sq.), quamquam pro certo affirmandum est Theognidis carmina moralia ad usum didacticum adhibita esse. Nullius enim poetae carmina ad hunc usum aptiora esse potuerunt; atque ea quae ratio intercedere solet magistro cum discipulo, ipsa significatur vv. 27 sqq., 1049 sqq.[1].

Alii alia tentabant ad rationem et ordinem quendam sylloges inveniendam, plurimi desperabant.

Quapropter audacius videatur tironem me tam gravem quaestionem redintegrare, et erunt fortasse, qui nobis Theognidis ipsius verba obiciant:

‚Μήποτ' ἐπ' ἀπρήκτοισι νόημ' ἔχε, μηδὲ μενοίνα
χρήμασι, τῶν ἄνυσις γίγνεται οὐδεμία.'

Tamen spero nova ratione inventa aliquid me conlaturum esse ad nodum illum quaestionis nondum expeditae solvendum.

Quam ad rem cum philosophi veteres auxilium praebere mihi viderentur, ita institui commentationem, ut perscrutarer primum omnes locos, quibus mentio fit Theognidis apud philosophos, tum demonstrarem, quid valeat haec investigatio ad syllogae rationem rectius intelligendam.

---

adn. 1. In Aeschinis pueritia eligendi et excerpendi rationem a Platone et Isocrate l. l. ad scholarum usum commendatam usitatam esse, testatur Aesch. in Ctesiph. 525 R: ‚διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐτοῖς χρώμεθα.'

PARS I.

Quae fuerit auctoritas Theognidis apud antiquos, imprimis apud philosophos.

1.

Ante Platonem et Platonis aetate.

Ipsam indolem poeseos Theognideae patet in ea fere parte philosophiae sola in censum venisse et venire potuisse, quae moralis nominatur. Hoc exempla confirmant. Nam ubicunque citantur ab antiquis versus Theognidei, sententia pertinet ad morale quoddam argumentum, quamquam non est negandum moralem partem poeseos Theognideae non esse solam, qua allici potuerint ac nunc etiam possint animi legentium[2].

Haud ita multum post Theognidis aetatem morales eius sententias maxime animos legentium occupasse, iam Sophocles ac magis Euripides testantur, quorum in tragoediis saepe Theognidis sententias adgnoscas.

Quod carmina politica obscurari coeperant, huius rei causa in universa mutatione rerum publicarum totius Graeciae quaerenda est. Megaris autem oligarchia collabefacta democratiam iam Theognidis temporibus consistere coepisse, ut in plurimis Graecis civitatibus, ex Theognidis ipsius carminibus cognoscitur. Nobilium, quorum unus ex studiosissimis erat Theognis, auctoritas magis magisque concidit, dum exeunte quinto saeculo in Graecis civitatibus omnino evanuit (cf. Aristoph. Ran. 685 sqq.).

Itaque facile intellegitur eos versus, quibus nobilitatis laudes canebantur, a perpaucis adamatos, a plurimis prorsus despectos et neglectos esse.

---

adn. 2. Pro certo habendum est, Aristotelem etiam Theognidis poesin usurpasse ad Megarensium πολιτείαν describendam. Quo fuerint usu versus Theognidis historicis nostrae aetatis, cf. Grote, III, 44, IV, 19, Duncker, IV, 58 sqq., Busolt, I, 606 sqq. Fr. Cauer, Parteien u. Politiker in Megara u. Athen, Stuttg. 1890,

Ceterum moralis ratio in poesi Theognidea tantum valuit, ut facile intellegatur illam posterioribus temporibus omnino praevaluisse et permansisse. Carmina enim, quibus poeta Cyrnum adhortatur, tanquam normam continent moralem et politicam, qua iuvenis doceatur, quo commercio sibi utendum sit cum hominibus et civibus. Cum morali autem vivendi ratione apud Graecos politica arto vinculo coniuncta esse solet, ac politica vita artissime cohaeret cum humana universa.

Duae illae partes etiam apud Theognidem arte inter se coniunctae sunt, sed ita ut ubique poeta ad suam solam spectet factionem. Vitam enim moralem ἀγαϑοὶ soli agere possunt, et ἀγαϑοὶ apud eum sunt nobiles. Mox autem politica significatio harum notionum neglegebatur, neque difficile erat moralem sensum ad ea carmina transferre, in quibus apud poetam ipsum praevalebat politicus, aut tali interpretationi ea adaptare, qualem assequi studebant ei, qui in suum usum eius adhibebant versus.

Inde a sophistarum temporibus maxime usitatus erat mos, ut in pedestrem orationem insererentur versus poetarum. Cuius moris antiquissimus testis est Plato. Propter hunc ipsum enim morem Plato aggreditur sophistas et eos, qui hac in re premebant sophistarum vestigia. Sophistae enim, cum id maxime studerent, ut populi aures mentesque captarent, talia subsidia usurpabant, quibus id quam facillime assequi possent.

Ac totius scientiae subsidia illius aetatis eis praesto erant, eruditissimi erant illius aetatis homines summaque fruebantur auctoritate apud aequales. Ex his autem subsidiis unum erat id, ut poetas tractarent eorumque versus saepissime in suum usum adhiberent. Quanti poetarum interpretationem aestimarint, optime cognoscitur ex Protagora dial. 339[a] et Hipp. min. 363[bc].

Quae ratio ut ipsis valde expedita erat, ita plurimis audientium et legentium placebat, qui quidem novissent poetas, quos illi citabant, atque omnia, quae illis demonstranda erant, his poetarum exemplis insertis maiorem speciem praebebant veritatis. Plerumque enim sufficiebat eis species illa veritatis, saepe satis habebant, si πειϑὼ quandam efficiebant, quam ut facilius assequerentur, formosa et ornatissima oratione utebantur. Vera autem scientia ac rerum cognitio multum saepe aberat, ut ab eis appeteretur, immo, ut erant sceptici, omnem negabant cognitionem.

In eis maxime scriptis vel orationibus poetarum testimoniis nitebantur, quae moralem tractabant philosophiae partem. Id enim maxime eos contendisse, ex Platone colligendum est, ut se optimos esse doctores virtutis ostenderent. Ac consentaneum est, eos, cum moralibus in quaestionibus poetarum testimonia afferrent, plurimis magno opere imposuisse.

Morales enim quaestiones quippe faciles ad intellegendum apud populum semper maxime valent. Eo perniciosior autem populo est falsa morum auctoritas. Cum vero a sophistis periculum imminere populi et reipublicae saluti Plato videret, summa acerbitate eos aggrediebatur impugnabatque eorum rationem docendi.

Huic quoque invidiae et odio tribuendum est, quod ipse Plato nimis severe de poetis ne optimis et notissimis quidem exceptis iudicare nobis videtur. Ubique enim praetexebant poetas sophistae, Protagoras ipse poetas nihil nisi sophistas esse pronuntiare audebat, itaque Plato suum esse existimabat detegere, quae vera esset vis et natura poeseos, quo id praecipue demonstraret, poesin non esse adhibendam, ubi ageretur de vera scientia investiganda. Nam docet poetas ipsos non magis sophistis altiorem habere cognitionem eorum, quae versibus proferant, sed divina quadam vi inspirari ad carmina edenda (cf. Prot. 316, Apol. 22[b], Men. 99[d], Phaedr. 245, Legg. 719[c], Jo. et m. a.).

Itaque monet, omittendam esse poesin, cum ratio cogat, quod vetus exstet inter poesin et philosophiam dissensio, si vero nihil nisi voluptas quaeratur, optimum esse adiumentum poesin (cf. Rep. II, 377—III, 396, X, 605—608).

Eum modo poetam probat ὃς ὠφελείας ἕνεκα ἡμῖν τὴν τοῦ ἐπιεικοῦς λέξιν μιμοῖτο καὶ τὰ λεγόμενα λέγοι ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, οἷς κατ' ἀρχὰς ἐνομοθετησάμεθα[3]. Μιμητικαῖς τέχναις Plato poetae artem adnumerat item ac pictoris, quae non veritatem ipsam exhibeant, sed speciem solam veritatis.

Ut autem omnis ars, sic enim docet Plato, tum demum perfecta est, cum eius naturam et indolem cognovimus sive ad corpus sive ad animum spectat, ita etiam in morali philosophiae parte tum demum recte virtutem exercere possumus, cum indolem

---

adn. 3. cf. et. Isocr. Panath. 33/34, auctorem διαλέξεων, Mull. I, p. 547 διαλ. B. s. f.

virtutis cognovimus et intelleximus virtutem esse scientiam ac boni quidem scientiam. Quoniam vero virtus est scientia, propterea etiam doceri potest. Atque haec est quaestio princeps in primis maioribus dialogis Platonicis, utrum virtus doceri possit necne. Hac de re ei primum cum sophistis disputandum erat, qui, ut omnes alias, ita etiam hanc artem se docere posse contendebant, qua virtutem homines sibi parare possent. In universum autem hanc de virtute doctrinam sophistarum temporibus hominum animos valde permovisse, documento sunt praeter Platonis dialogos Euripidis praecipue tragoediae, Antisthenis libri, Xenophontis scripta.

Sophistae nimirum contendebant virtutem doceri posse, cum victum et pecunias sibi pararent adulescentium institutione. Quod vero Socrati et Platoni omnium erat gravissimum ut ostenderent, cur doceri posset virtus, id prorsus neglexerant, neque probare eis contigit. Optime hoc illustratur Protagorae dialogo.

Protagoras enim conatur demonstrare, virtutem doceri posse. cf. Prot. 323[c]. Argumentationem vero ei non bene cessisse, finis ostendit dialogi. Socrates enim ei obiecerat, virtutem doceri non posse, et exempli causa profert perditos filios celeberrimorum hominum. Tum vero idem Socrates demonstrat virtutem esse ἐπιστήμην ac propterea doceri posse, cum ea sit natura ἐπιστήμης, ut doceri possit. cf. et. Men. 87[c]. Protagoras contra negat, virtutem ἐπιστήμην esse, quamquam antea contenderat, virtutem doceri posse. Hac in utraque parte contradictione dialogus concluditur.

Mirabantur saepe viri docti dialogi exitum, neque quaestio ipsa eis ad finem perducta esse videbatur. At hoc puto unum quemque sentire, Socratem vel Platonem id assecutum esse, quod assequi voluit, ut ostenderet, sophistas veros virtutis magistros non esse, quod nescirent, cur virtus doceri posset, sive, quod non cognossent, virtutem esse scientiam (cf. et. Bonitz, Plat. Stud. 3 p. 268/69).

Eadem quaestio de virtutis doctrina tractatur in Menone dialogo, ubi 95[de] ad argumentationem adhibentur versus Theognidei.

Necesse erat exponere quae ratio intercessit Platoni cum sophistis, ut intellegeretur, quo in nexu sententiarum citarentur versus Theognidei.

Summa totius disputationis huius dialogi invenitur in fine 99ᵈ—100.

Ne in hoc quidem dialogo quaestionem ad finem perductam esse, Plato ipse indicat 100ᵇ: ‚τὸ δὲ σαφὲς περὶ αὐτοῦ εἰσόμεθα τότε, ὅταν πρὶν ᾧτινι τρόπῳ τοῖς ἀνθρώποις παραγίγνεται ἀρετή, πρότερον ἐπιχειρήσωμεν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ζητεῖν τί ποτ' ἔστιν ἀρετή.'

Simul vero his verbis indicavit, sibi nondum persuasum esse de conclusione, quam fecerit 99ᵈ—100ᵃ. Hoc probatur etiam hypothetica conclusionis forma ‚εἰ μήτις κτλ., ac Platonem aliud docuisse hoc iam ex Gorgia dialogo apparet, ubi certa dialectica ratione demonstratur, virtutem esse ἐπιστήμην et propterea διδακτόν.

In Menone item atque in Protagora id maxime demonstrare studuit, primum virtutem non esse φύσει, tum veros virtutis magistros non exstare, ac minime quidem sophistas, qui soli id profiterentur. Tamen etiam hanc sententiam, veros non exstare magistros, imminuere studet hypothetico enuntiato 100ᵃ: εἰ μήτις εἴη τοιοῦτος τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν, οἷος καὶ ἄλλον ποιῆσαι πολιτικόν.

Qua sententia, etsi hypothetico more exprimatur, tamen nemo non videt, certam personam significari (cf. τίς). Quae persona nulla alia est, ac Socrates et Plato ipse, eius discipulus.

Impetu quodam poetico abripitur hoc dialogi loco, Homeri versus ei in memoriam veniunt, verum virtutis magistrum comparat cum vate Tiresia. Quibus in verbis omnes sentire puto, Platoni iam tum persuasum fuisse, se veram virtutis doctrinam invenisse. Cum alacritate animi haec verba proferri, facile animadvertes. Offendat fortasse notio ‚πολιτικός', sed scimus ex Gorg. dial. et Republ. philosophiam Platonem nominasse veram τέχνην πολιτικὴν et ῥητορικήν, philosophis eum primum tribuisse locum in republica gerenda.

Eodem autem loco, quo sophisticam virtutis doctrinam improbat, alia quoque duo genera hominum, qui magistri virtutis semper habebantur, virtutem docere posse negat: politicos et poetas. Politicos virtutis magistros non esse, cum inter illos id ipsum non conveniat, utrum virtus doceri posset nec ne. cf. 95ᵇ.

Non minus autem ancipitem esse Theognidem poetam, Plato pergit, cum altero loco contendat virtutem doceri posse (vv. 33 sqq.), altero loco neget (vv. 429 sqq.).

Οἶσθα δ' ὅτι οὐ μόνον σοί τε καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πολιτικοῖς τοῦτο δοκεῖ τοτὲ μὲν εἶναι διδακτόν, τοτὲ δ' οὔ, ἀλλὰ καὶ Θέογνιν τὸν ποιητὴν οἶσθ' ὅτι ταὐτὰ ταῦτα λέγει; Ἐν τοῖς ἐλεγείοις, οὗ λέγει·

‚καὶ παρὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις.
ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσιν
συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.'

οἶσθ' ὅτι ἐν τούτοις μὲν ὡς διδακτοῦ οὔσης τῆς ἀρετῆς λέγει. Ἐν ἄλλοις δέ γ' ὀλίγον μεταβάς,

εἰ δ' ἦν ποιητὸν (φησὶ) καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα, λέγει πως ὅτι

‚πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον'

οἱ δυνάμενοι τοῦτο ποιεῖν, καὶ

οὔ ποτ' ἂν ἐξ ἀγαθοῦ πατρὸς ἔγεντο κακός,
πειθόμενος μύθοισιν σαόφροσιν, ἀλλὰ διδάσκων
οὔ ποτε ποιήσεις τὸν κακὸν ἄνδρ' ἀγαθόν.

ἐννοεῖς, ὅτι αὐτὸς αὑτῷ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν τἀναντία λέγει;

Neque politicos neque poetas cognitionem habere vel scientiam virtutis, quam exerceant, sed utrisque θείᾳ μοίρᾳ hoc contigisse. cf. 99[d].

Cum vero neque politici neque poetae cognitionem rerum et intellegentiam habuissent, neque alios eos virtutem docere potuisse. Mitius tamen iudicare videtur de poetis quam fecerat in Gorg. 502[d] (ποιητική = ῥητορική = κολακική) et de politicis in Gorg. 519[a–d].

Tamen etiam hoc in dialogo exagitat sententiam et eorum, qui politicos celeberrimos veros esse magistros virtutis censebant, quae vulgi erat opinio, et eorum, qui poetarum carmina ad virtutis doctrinam aptissima esse contendebant i. e. sophistas.

At primo adspectu Plato hoc loco idem peccare videtur, quod ipse hic magisque aliis locis reprehendit: poetae enim versus ipse ad suam argumentationem adhibet. Theognidem enim ita producit, quasi ille ethicum quoddam systema secutus philosophi instar de virtute cogitaverit, utrum doceri possit necne. Quod nequaquam demonstrare sibi proposuisse poetam, ex versibus ipsis patet; primi enim versus nihil aliud significant nisi ‚melior fis, si bonorum uteris consuetudine, quam malorum' illi ‚doctrina sola homo non melior fit, scil. necesse est, ut bona

indole praeditus sit ad virtutem'. Primis igitur in versibus **discentis** modo voluntas in censum venit, posterioribus **docentis**. Neutro autem loco ea cum subtilitate, quae philosophi propria est, profertur sententia ,virtus est διδακτός' aut ,non διδακτός'. Itaque necesse esse videatur, ut Platoni inconstantiam quandam obiiciamus. Ut enim Protagoras apud Platonem poetas cum sophistis componit eosque ipsos sophistas esse et fuisse occultos contendit, qui non ausi sint coram publico se sophistas nominare, ita Plato ipse hoc Protagorae iudicium probare videtur, cum Theognideos versus in suum usum adhibeat, quamquam id ipsum improbat Prot. 347[e]: ,οὕτω δὲ καὶ αἱ τοιαίδε συνουσίαι, ἐὰν μὲν λάβωνται ἀνδρῶν οἷοίπερ ἡμῶν οἱ πολλοί φασιν εἶναι, οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς, οὐδὲ ποιητῶν, οὓς οὔτ' ἀνερέσθαι οἷόν τ' ἐστὶ περὶ ὧν λέγουσιν, ἐπαγόμενοί τ' αὐτοὺς οἱ πολλοὶ ἐν τοῖς λόγοις οἱ μὲν ταῦτά φασι τὸν ποιητὴν νοεῖν, οἱ δ' ἕτερα, περὶ πράγματος διαλεγόμενοι, ὃ ἀδυνατοῦσιν ἐξελέγξαι.

Propter id ipsum igitur poetarum testimonia reicit, quod careant philosophica subtilitate et scientia, at in Menone Theognidis versus eum adhibentem videmus ad eam quaestionem, quae gravissima nominanda est in morali philosophia, ad virtutis doctrinam. Nisi forte, ut cum Platone hypothetico more loquamur, certum quoddam subsit consilium, quo tollatur haec inconstantiae species.

Neminem non offendi puto, quod hoc ipso Menonis loco Plato hos Theognidis versus profert, cum in antecedentibus nullius usquam poetae iudicium commemoratum sit in hac virtutis quaestione. Hoc ita solum explicari potest, ut statuamus, Platonem certum quendam adversarium respicere, cuius in libro hi Theognidis versus 33 sqq. citati erant, cum eandem de virtute quaestionem tractaret. Quod si statuimus, patet omnem difficultatem tolli et allatis Theognidis versibus Platonem id ipsum demonstrare studuisse, neque alios poetas neque **Theognidem** adhibendum esse ad philosophicam argumentationem, cum subtilitas philosophica deesset poetis. Nam, si quis velit, id ipsum detegere posse, interdum sibi ipsos repugnare poetas, velut Theognidem. Itaque etiam hoc Menonis loco Plato id probat, quod in Prot. 347[e] aperuerat: ,οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς οὐδὲ ποιητῶν' κτλ.

Quis autem fuerit ille adversarius, ut demonstremus, pri-

mum nos adiuvat Xenophon. Duobus enim locis a Xenophonte iidem versus laudantur, quos Plato reicit, atque in eadem quidem quaestione de virtutis doctrina.

Alter locus invenitur in conv. II, 4. Postquam Lyco dixit puerorum esse unguentis uti, ita pergit: ‚ἡμᾶς δὲ τοὺς μηκέτι γυμναζομένους τίνος ὄζειν δεήσει; Καλοκἀγαθίας νὴ Δί', ἔφη ὁ Σωκράτης. Καὶ πόθεν ἄν τις τοῦτο τὸ χρῖσμα λάβοι; Οὐ μά Δί', ἔφη, οὐ παρὰ τῶν μυροπολῶν. Ἀλλὰ πόθεν δή; Ὁ μὲν Θέογνις ἔφη.

> ‚Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
> συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον[4].'

Xenophon igitur eosdem Theognidis versus nulla interposita dubitatione adfert, quorum auctoritatem Plato reiicit.

Casuine tribuendum est, utrumque eadem in quaestione diversa ratione de iisdem versibus iudicare, an statuendum est aliquam rationem hunc inter et illum intercedere, cum eosdem versus adhibeant eandem ad rem? Ac dixerit quispiam Xenophontem a Platone impugnari etiam Menonis loco, de quo agimus. Sed tantum abest, ut apud Xenophontem offendant hi Theognidis versus, ut Platonem id plane neglexisse statuendum sit — in universum Xenophon parum insignis ei videbatur, qui multum respiceretur —. Tum vero demonstrari potest, Xenophontem his in versibus citatis alium sequi auctorem, qui multo magis valebat apud Platonem, multo quippe periculosior adversarius: **A n t i s t h e n e m** dico, atque hunc esse, qui impugnatur illo Menonis loco.

In eodem enim convivii capite, quo versus Theognidei

---

adn. 4. Recte ostendit Dümmlerus, Akad. p. 50, Xenophontis convivium scriptum esse ante Platonis Protagoram, cum apud Platonem in Prot. 347[c] tangatur Xen. conv. VII, 1.

Alio quoque Protagorae loco Xenophon non minus tangi mihi videtur. Si enim comparaveris Xen. conv. III, 2 cum Plat. Prot. 347[b], videbis, idem ab utroque commendari, in conviviis non opus esse saltatricibus aliisve artificibus sed convivis ipsis enixe studendum esse ipsorum sermonum lepore, ut inter se delectarent. Tamen et hic Xenophon occulte vituperatur a Platone. Nam saltatrices a Xenophonte in conviviis non sperni, ex initio et fine Xenophontis convivii elucet, ubi Syracusana saltatrix producitur.

Cum vero Xenophontis convivium Platonis Protagorae antecesserit, idem de Menone dicendum est, cum constet inter viros doctos Menonem post Protagoram scriptum esse. cf. Susemihl, Entw. d. Plat. Phil. I p. 83, b. F. Hermann, Plat. Phil. p. 483, Gomperz, Plat. Aufs. Abh. d. Wien. Akad. 114 p. 748.

afferuntur, Antisthenes saepius nominatur et respicitur a Xenophonte. Primum § 12, ubi Socrates colloquitur cum Antisthene de fortitudine eiusque doctrinam de hac virtute significare ac refellere videtur (cf. Joël, der echte u. d. Xenoph. Socr. I, p. 362 sq.), tum § 26, ubi haec leguntur: ‚ἢν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν (ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω) οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' ἀναπειθόμενοι πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.'

His verbis Xenophontem significare sententiam quandam, ab Antisthene in protreptico dialogo prolatam, recte iam collegerunt viri docti ex aliis testimoniis (cf. Winckelmann, Antisthen. fragm. p. 21, 1, Heitz, Griech. Littg. p. 39 A. 1, Hartlich, Leipz. Stud. XI, pag. 227 sq.).

Cum vero Theognidem apud Antisthenem magna fuisse auctoritate ex eodem protreptico libro, quem scripsit de Theognide (cf. Diog. L. VI, 16) concludendum sit, pro certo affirmandum est, Xenophontem, ut in permultis aliis, ita etiam in eo secutum esse Antisthenem, quod eo loco, ubi agitur de virtutis doctrina, Theognideos affert versus.

Quod confirmatur altero loco Xenophontis, ubi iidem versus Theognidei laudantur a Xenophonte, et rursus Antisthenes eiusque doctrina in censum venit. In Mem. I, 2, 19 enim Xen. impugnat sententiam eorum, qui contendant, neminem oblivisci posse ea, quae didicerit, neque quemquam ἄδικον fieri posse, si quando didicerit δίκαιος esse; neque σώφρονα fieri posse ὑβριστήν. Ipse tum primum locum obtinere contendit in virtute exercenda ἄσκησιν, quae si neglegatur, etiam virtutem amissum iri, sicut corporis facultates amitti, nisi exerceantur. Tum pergit § 20: ‚Διὸ καὶ τοὺς υἱεῖς οἱ πατέρες, κἂν ὦσι σώφρονες, ὅμως ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων εἴργουσιν, ὡς τὴν μὲν τῶν χρηστῶν ὁμιλίαν ἄσκησιν οὖσαν τῆς ἀρετῆς, τὴν δὲ τῶν πονηρῶν κατάλυσιν. Μαρτυρεῖ δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ὁ λέγων,

‚Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
συμμίσγῃς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.'

καὶ ὁ λέγων

‚Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς τότε μὲν κακός, ἄλλοτε δ' ἐσθλός.'

Inter hos philosophos, quorum doctrinam Xenophon impugnat, Antisthenem praecipue tangi, elucet ex Antisthenis dictis,

quae Diogenes Laert. tradit cf. VI, 12: ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή. VI, 105: ἀρέσκει δ'αὐτοῖς καὶ τὴν ἀρετὴν διδακτὴν εἶναι, καθ' ἅ φησιν Ἀντισθένης ἐν τῷ Ἡρακλεῖ καὶ ἀναπόβλητον ὑπάρχειν.

Ἄσκησιν autem Antisthenem quoque et Cynicos omnium plurimi aestimasse ad virtutem comparandam, idem Laert. Diog. testatur VI, 70 et al. ll. Quamquam igitur Xenophon Antisthenis doctrinam impugnat, tamen paradoxias solas Cynici improbat (cf. et. Mem. III, 9, 6 ubi impugnat Cynicum dictum ‚οἱ ἄφρονες μαίνονται'), ceteroquin eum sequitur, cum ipse quoque multum tribuat exercitationi in virtute paranda. Ἄσκησις autem virtutis laudatur Theognidis versibus. Itaque re vera non impugnatur Antisthenes versibus 35/36 Theognidis sed alio versu ignoti cuiusdam poetae, quem memorat eodem loco:

‚Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς τοτὲ μὲν κακός, ἄλλοτε δ'ἐσθλός.'

Hoc demum versu refellitur Antisthenis doctrina, quae expressa est illo dicto ‚ἀναφαίρετον ὅπλον ἡ ἀρετή'[5].

Vides igitur omnibus his locis Antisthenis personam respici, atque undique concurrunt argumenta, Antisthenem antecessisse Xenophonti in eo, quod in virtutis quaestione hos versus Theognideos usurpaverit[6].

Nunc quoque habemus eum, contra quem pugnat Plato Menonis loco 95[de]. Nam Antisthenem Platoni multo periculosiorem fuisse adversarium, hoc ex permultis illis locis elucet,

---

adn. 5. Eundem anonymi versum affert Plato in Prot. 344[d], ubi eadem quaestio tractatur, utrum virtus amitti possit necne. Plato quoque hoc loco contra Antisthenem pugnare videtur. cf. Dümmler Akad. p. 50 sq. Quod si verum, plus quam verisimile est, Xenophontem hac in re Platonis sequi vestigia. Saepius enim Xenophon Platonis dialogos suum in usum adhibuit, non solum impugnat eius sententias (cf. Dümml. Akad. p. 180 sq. 253). Id praecipue IV. lib. Mem. demonstrare mihi videtur, quo in libro Xenophon magis magisque ad Platonis doctrinam accedere videtur, virtutem esse scientiam, quamquam et hic σοφία, practica scientia, magis in censum venit, quam theoretica illa ἐπιστήμη. (cf. praec. Mem. IV, 2, 20, 26 sqq. IV, 6, 7). Recte dicit Joël l. l. p. 15, cum agat de auctoritate, qua alii Socratici fuerint apud Xenophontem: «Es ist selbstverständlich, dass Xen. seine socrat. Sammlung — das sind ja die Mem. — nicht in einem Zuge geschrieben hat, dass inzwischen die socrat. Litteratur sich bereichert u. Xen. selbst noch mehr Kenntniss davon genommen.»

adn. 6. Etiam multis aliis et convivii et memorabilium locis Xenophontem pendere ab Antisthene, viri docti viderunt cf. praec. Dümml. Akad. ind. s. v. Antisthenes. Joël, l. l. Persaepe Socratem Cynica veste indutum invenies.

quibus plus minusve aperte et acerbe Plato eum eiusque doctrinam impugnat.

Utrum Xenophon ex protreptico περὶ Θεόγνιδος libro hos versus Theognideos petierit an ex alio Antisthenis libro, velut ‚Heracle', ubi constat quaestionem de virtutis doctrinam tractatam fuisse, pro certo affirmari non potest. Sed cum in eodem convivii capite alium locum protreptici significet (cf. § 26), verisimilius est, Xenophontem hunc librum, quam alium ante oculos habuisse[7].

Plato vero, cum l. l. contra vv. 35 sq. proferret vv. 429 sqq. Theognidis, auctore uti potuit Euripide, qui eosdem vv. 429 sqq. in suum usum converterat, ut demonstraret virtutem doceri non posse. Invenitur hic locus in Hippolyto vv. 916 sqq. Postquam Theseo nuntius allatus est de morte uxoris, cum ex tota rerum

---

adn. 7. Constat, Antisthenem in protreptico libro laudasse poculorum genus, cui nomen fuit βομβυλιός; hoc Antisthenem fecisse in libro περὶ Θεόγνιδος, Hesychii quodam loco demonstrari posse mihi videtur. cf. ad nom. Πολυπαΐδης, ubi haec verba inveniuntur cf. III p. 357 (Schmidt): Πολυπαίδης· παρῴδηται ἐκ τῶν Θεόγνιδος· βόμβων ἐπαινήσω [Πολυπαΐδη] — falso mutavit βόλβον M. Schmidt; fortasse βόμβον pro βόμβων scribendum est, sed prorsus incertum est, cum fragmentum sit, neque quidquam ad rem. — Hoc vero dubium non est, quin de eodem βομβυλιῶν ἔπαινος hoc loco agatur, qui a Xen. Plat. Isocr. Athen. Poll. commemoratur. Nam βόμβον idem esse ac βομβυλιόν, ipse testatur Hesychius, qui utrumque interpretatur verbo ἦχος. Vix puto hanc, quam Hesychius commemorat, parodiam vindicandam esse Antistheni ipsi, cum nusquam commemoretur, eum βόμβον vocem usurpasse, sed talem puto hominem fuisse parodiae auctorem, qui, ut iam fecerant Plato et Isocrates, Antisthenem irridere voluit ac poetica quidem forma. Id autem lucramur ex Hesychio, ut certe concludere possimus, Antisthenem verbum βομβυλιός usurpasse in libro protreptico περὶ Θεόγνιδος — indiligentiae cuidam tribuendum esse videtur, quod Hesych. dicit ἐκ τῶν Θεόγν. pro ἐκ τῶν περὶ Θ., nisi hoc mendum codicibus vindicandum est. — Quo libri loco Antisthenes laudaverit βομβυλιόν, non difficile est dictu, eo nimirum loco, quo apud Theognidem agebatur de vini potatione. Ex Athen. XI 784[d] videmus, eum Socratem loquentem induxisse — dialogus igitur erat Προτρεπτικός cf. et. Diog. L. VI, 1 — ac Socratem laudasse eos, qui moderate biberent (βομβυλιούς), vituperasse eos, qui modum bibendi excederent (ἐκ φιάλης πίνοντες). Diversis autem locis syllogae Theognideae moderatio in bibendo laudatur cf. v. 477 sq. 497 sq. 509/10 tum praec. 873—76, quibus eandem sententiam, quae apud Athen. XI, 784 pedestri, poetico more expressam invenis. Utroque enim loco agitur et de commodo et de incommodo potationis. Eadem praeterea verba πίνειν (873) et ἐπαινεῖν (v. 876) reperiuntur, quibus cum coniunctum βομβυλιός citatur et apud Isocr. Hel. laud. 12 et apud Hesych. l. l. Itaque non putamus nos a vero aberrare, si statuimus Antisthenem ad hos versus laudasse βομβυλιοὺς et parodiam ab Hesychio traditam ad hunc locum pertinere.

conditione cum suspicari necesse esset, Hippolytum factum esse matricidam, summo dolore et furore captus haec exclamat contra filium:

ʼΩ πόλλʼ ἁμαρτάνοντες ἄνθρωποι μάτην,
τί δὴ τέχνας μὲν μυρίας διδάσκετε
καὶ πάντα μηχανᾶσθε κἀξευρίσκετε,
ἓν δʼοὐκ ἐπίστασθʼ οὐδʼ ἐθηράσασθέ πω,
φρονεῖν διδάσκειν οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς;

Ad quae Hippolytus summa cum ironia et acerbitate respondet:

Δεινὸν σοφιστὴν εἶπας, ὅστις εὐφρονεῖν
τοὺς μὴ φρονοῦντας δυνατός ἐστʼ ἀναγκάσαι.

Recte Wilamowitzius adnotat ad h. l. omnes Athenienses, cum haec audivissent, meminisse Theognidis vers. 429 sqq. Eadem igitur in quaestione de virtutis doctrina etiam apud Euripidem iidem versus Theognidei inveniuntur. Aliumne iam auctorem Euripides sequitur hac in re? (cf. Epimetrum.)

Apud sophistas Theognidis carmina etiam ad didacticum usum permultum valuisse credibile est. Nam poetam, qui meliorem et maiorem materiam hunc in usum eis praebuerit, nescio an non invenire potuerint. Certe non sine causa Antisthenis liber περὶ Θεόγνιδος nominatur προτρεπτικός apud Diog. Laert. l. l.[8]

Nulli alii versus aptiores eis esse poterant ad virtutis eorum doctrinam probandam quam vv. 35 sqq., in eadem re a Xeno-

---

adn. 8. cf. et. qua ratione describatur Archestrati poesis apud Athenaeum VII, 310: Κύων καρχαρίας· περὶ τούτων φησὶν ʼΑρχέστρατος ὁ τῶν ὀψοφάγων Ἡσίοδος ἢ Θέογνις. . . . . ὁ δʼοὖν ʼΑρχέστρατος ἐν ταῖς καλαῖς ταύταις ὑποθήκαις παραινεῖ κτλ.

Tanquam parodia Hesiodi et Theognidis poeseos existimatur Archestrati poesis cf. VII, 286[d]: περὶ δὲ τοῦ βατράχου συμβουλεύει ὁ σοφώτατος ʼΑρχ. ἐν ταῖς γνώμαις. cf. et. Athen. III 101[f], 104[f]. VII, 320[f]. 321[c]. cf. praet. quo modo definiantur versus Theognidei apud Hermogenem Tarsiten, illustrissimum rhetorem Marci imperatoris aetate in libro, qui inscribitur προγυμνάσματα (Speng. II, 7, 16): Γνώμη ἐστὶ λόγος κεφαλαιώδης ἐν ἀποφάνσει καθολικῇ, ἀποτρέπων τι ἢ προτρέπων ἐπί τι ἢ ὁποῖόν ἐστιν ἕκαστον δηλῶν, ἀποτρέπων μὲν ὡς ἐν ἐκείνῳ·

‚οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.ʻ

προτρέπων δὲ ἐν ἐκείνῳ·

‚χρὴ πενίην φεύγονταʻ κτλ. (Theogn. 177 sq.).

cf. et. Aphtonium sophisten, Hermogenis sectatorem, Speng. II, p. 26, 8: γνώμη προτρεπτική· χρὴ πενίην φεύγοντα κτλ. et idem apud Nicol. Sophisten (Speng. III, p. 464).

phonte et Antisthene laudati. Nam ipsos commercio discipulorum cum magistris, quod praecipue laudatur his versibus, longe plurimum tribuisse, cum aliis locis tum Protag. 318[a] ostenditur (cf. συνουσία).

Itaque Euripides, cum in Hippolyto vv. 429 sqq. Theognidis in suum usum convertat, eorum profert sententiam, qui adversarii erant doctrinae sophistarum, qui cum vidissent, filios nihil proficere sophistarum doctrina, ἔμφυτον esse virtutem contendebant. Hac igitur in re Plato in Men. l. l. consentit cum Euripide, quod hos versus 429 sqq. contra sophistas eorumque sectatores profert.

Ut breviter complectamur ea, quae adhuc exposuimus, vidimus Theognideos versus 29 ssq. et 429 sqq. persaepe adhibitos esse ab antiquis philosophis in virtutis doctrina exponenda, ac primum quidem, ut videtur, a sophistis. Nam erat hic sophistarum mos, ut proficiscerentur a poetarum testimoniis. Contra hanc rationem pugnat Plato. Ipse quidem cum eis consentit virtutem doceri posse, sed cum videret, eorum doctrinam et institutionem non bonos, sed malos ferre fructus, intellexit, eos non esse veros virtutis magistros.

Nesciebant enim, cur ita docerent: scientia et cognitio virtutis eis deerat. Praeterea vidit ab eis proprium commodum etiam in virtutis doctrina maxime spectari. Inde intellegitur, Platonem in Protagora dial. agere partes adversarii sophistarum. Inde quoque cognoscitur Platonem contra poetas pugnare, interdum nimis severo usum iudicio; Theognidis versibus citatis nihil probari posse, in Men. dial. ita demonstrat, ut contra vv. 29 sqq. afferat vv. 429 sqq., quos contra sophistas eorumque virtutis doctrinam ab adversariis prolatos esse, etiam Euripidis Hippolytus testatur cf. vv. 916 sqq.

Sophistarum vestigia in poetarum usu sequebatur Antisthenes, quem Theognidis quoque versus in suum usum adhibuisse et liber eius περὶ Θεόγνιδος testatur et Xenophon iis locis, ubi Antisthenem secutus eosdem citat Theognidis versus.

Itaque cum Antisthenes perseveraret in vetere sophistarum doctrina de virtute, hunc Plato impugnat non minus quam sophistas. Contra hunc Menonis quoque pag. 95[de] ac protrepticum quidem eius librum Platonem pugnare pro certo habendum est, nam ex Xenophontis Isocratis Platonis obloquendi studio Antisthenis protrepticum magna fuisse auctoritate patet.

Transimus ad alios apud Platonem locos, ubi Theognis laudatur.

In Legibus 630[a] a Platone commemorantur versus 77/78. Relinquit Plato in Legibus priorem suam idearum doctrinam magisque accedit ad vulgarem virtutis interpretationem. Itaque non unam solam virtutem, ut antea contendit, sed plures (quattuor) esse statuit.

Iam in Rep. IV, 441[c]—443[b] quattuor partes honestatis statuit, sed differunt Leges a Republica, ita ut Plato illic has virtutes magis ad hominem ipsum referat, hic ad communitatem hominum, ad rationem publicam, quae alteri intercedit cum altero. Vario esse pretio statuit singulas virtutes. Legum l. l. comparat vim ἀνδρείας cum δικαιοσύνης vi atque ita quidem instituit comparationem, ut Tyrtaeum cum Theognide componat, laudatorem ἀνδρείας cum δικαιοσύνης laudatore. Tyrtaeus, inquit Plato, ἀνδρείαν summam esse virtutem praedicat, Theognis δικαιοσύνην atque eam quidem, qua quis utatur in rebus publicis. Ipse Theognidem praefert Tyrtaeo ac tantum quidem praestare ait, quantum δικαιοσύνην ἀνδρείᾳ. Vel propter id δικαιοσύνην praeferendam esse ἀνδρείᾳ, quod ipsa ἀνδρείαν omnesque alias complectatur virtutes. Ἀνδρεία igitur valde minuitur prae δικαιοσύνῃ. Idem etiam aliis locis invenitur cf. Legg. 667 A, 963 E, 696 B.

Δικαιοσύνη enim, quam Pl. laudat hoc loco non modo est δικαιοσύνη moralis, non modo tanquam idea δικαιοσύνης, sed etiam δικαιοσύνη in rebus publicis, cuius summum gradum esse πιστότητα ἐν τοῖς δεινοῖς cf. 630[c]: ἔστι δὲ, ὡς Θέογνίς φησιν, αὕτη πιστότης ἐν τοῖς δεινοῖς, ἥν τις δικαιοσύνην ἂν τελέαν ὀνομάσειεν κτλ. (cf. et. Euseb. praep. ev. XII, 574[c]).

Ad Antisthenem propius accedere videtur Plato, cum hanc proferat sententiam de pretio utriusque virtutis, de quo egisse videtur Antisthenes in libro ‚περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας‘, quocum arte coniunctus erat liber ‚περὶ Θεόγνιδος‘, si Diag. Laert. VI, 16 fidem habere possumus. Fortasse iam Antisthenes similiter ac Plato hoc in libro Tyrtaeum et Theognidem composuerat[9].

---

adn. 9. Cum Platonis laudatione πίστεως cf. et. Cic. de off. I, 7, 23: ‚Fundamentum autem est iustitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas.

7, 20: Iustitia, in qua virtutis est splendor maximus, ex qua viri boni nominantur.‘ Iambl. protr. c. 20: πίστις μὲν πρώτη ἐγγίγνεται ἐκ τῆς εὐνομίας κτλ.

Hi sunt loci Platonici, quos in nostra quaestione dignos censui tractatu.

Nunc ad Isocratem transimus.

Isocratem hoc loco tractamus propter id, quod ipse multis locis se philosophum esse praedicat, tum quod in quaestione de virtutis doctrina magna dissensio exstitit inter illum et aequales Socraticos, denique quod haec dissensio etiam ad Theognidem pertinet, quem pluribus locis ipse respexit Isocrates.

Cum Antisthene et Xenophonte Isocrates in eo consentit, quod exercitationi et consuetudini primum tribuit locum in virtute comparanda, quamquam impugnat et Antisthenis et Platonis opinionem virtutis docendae. Negat enim virtutem doceri posse in orat. adv. soph. § 21: ‚καὶ μηδεὶς οἰέσθω με λέγειν ὡς ἔστι δικαιοσύνη διδακτόν'. Naturam hac in re plurimum valere dicit ac plus quam verisimile esse mihi videtur, cum in mente habuisse eosdem versus 429 sqq. Theognidis, cum in eadem oratione scriberet: ‚ὅλως μὲν γὰρ οὐδεμίαν ἡγοῦμαι τοιαύτην εἶναι τέχνην, ἥ τις τοῖς κακῶς πεφυκόσιν ἀρετὴν ἂν καὶ δικαιοσύνην ἐμποιήσειεν.' (cf. v. 435 Theog.: ‚εἰ δ'ἦν ποιητὸν καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα'.)

Praeter naturam autem plurimum valere consuetudinem et exercitationem. Eadem notio μελέτης, quae saepe a Xenophonte commendatur ad virtutem comparandam, apud Isocratem laudatur in oratione de perm. § 309, consuetudinis vis in § 277. Etiam hac in re consentit Isocrates cum Xenophonte, ut dicat, ei qui aliis aliquid probare velit, studendum esse, ut ipse morum probitatem exerceat cf. § 278: ὥσθ' ὅσωπερ ἄν τις ἐρρωμενεστέρως ἐπιθυμῇ πείθειν τοὺς ἀκούοντας, τοσούτῳ μᾶλλον ἀσκήσει καλὸς κἀγαθὸς εἶναι', quocum cf. Xen. Mem. IV, 4, 10..

Isocrates igitur vulgari quoque de virtute opinioni favet nihil progrediens in virtutis doctrina, immo spernens altiorem Platonis doctrinam.

Quod dicit apertissimis verbis in orat. de perm. § 84: Ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν ἐπὶ τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν δικαιοσύνην προσποιουμένων προτρέπειν ἡμεῖς ἂν ἀληθέστεροι καὶ χρησιμώτεροι φανεῖμεν ὄντες. οἱ μὲν γὰρ παρακαλοῦσιν ἐπὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν φρόνησιν τὴν ὑπὸ τῶν ἄλλων μὲν ἀγνοουμένην, ὑπ' αὐτῶν δὲ τούτων ἀντιλεγομένην, ἐγὼ δ'ἐπὶ τὴν ὑπὸ πάντων ὁμολογουμένην: ubi so-

phistarum discipulum statim adgnoscas, qui multitudinis studet favori.

Quanta controversia inter Platonem et Isocratem orta sit, quantaque acerbitate pugnatum sit in utraque parte, ex utriusque scriptis cognosci potest, ubi persaepe alterum ab altero tangi apparet (cf. Reinhardt, de Isocratis aemulis p. 2 et 30 sqq. F. Dümmler, Chronol. Beitr. zu einig. plat. Dial. Basel. Progr. 1890).

Non minus Antisthenem impugnat Isocrates. Iam supra commemoravimus eum in Hel. laud. cap. 12 pugnare contra Antisthenis προτρεπτικόν. At tamen Isocratem laudasse protrepticum Theognidis usum e pluribus eius orationum paraeneticarum locis elucet. Semper vero suum poetae usum contra adversarios commendat, sed tam inferior est adversariis, ut, quamquam eos impugnat, tamen non vereatur illorum sequi vestigia et eorum sententias tamquam suas proferre.

Dümmlerus Acad. p. 65, 1 coniecit Isocratem ea quae proferret § 45—47 orat. ad Nicocl. hausisse ex Antisthene, cum Cynicas continerent sententias, recteque vidit p. 24 l. l. in § 39 Antisthenem tangi una cum Platone. Sed etiam longius progredi licere mihi videtur, et alios etiam locos me invenisse puto, quibus Antisthenes tangitur.

In § 41 eos laudat Isocrates, qui colligunt et excerpunt aliorum sententias eo consilio, ut adhortentur homines. Quod quamquam hoc loco commendat, in sequentibus statim contendit talia nihil valere, cum plurimi homines, etsi laudent talia, tamen ea non sequantur. Eandem igitur rationem improbat, si ad populi usum, laudat, si ad tyranni usum adhibeatur.

Idem pergit Isocrates fieri de poesi Hesiodi Theognidis Phocylidis, quibus, etsi multas easque optimas contineant adhortationes, tamen nemo obsequatur. Antisthenem his verbis tangi, pro certo affirmaverim, is enim ex Theognide elegerat gnomas in libro περὶ Θεόγνιδος ad protrepticum usum populi.

Platonicam igitur non modo rationem improbat hac in orat. (cf. praec. § 48 sq., ubi pugnat contra Plat. Rep. X, 1—8), sed etiam Antisthenicam, suam rationem ut solam veram commendat, quae revera nihil discrepabat ab Antisthenica, nisi ut ipse tyranno, Antisthenes populo Theognidem commendaret. Ad

hanc quoque pugnam nulla alia re nisi invidia commotus erat, cum iam supra viderimus, quanta fuerit auctoritate προτρεπτικός Antisthenis.

Ceterum si accuratius paraeneticas orationes Isocratis perlegis, multas Theognideas sententias in eis reperies pedestri sermone expressas.

2.

Aristotelis aetate et post Aristotelem.

Pervenimus ad Aristotelem, qui eosdem versus Theognideos in ethicis scriptis in suum usum convertit, quos iam apud alios Socraticos laudatos invenimus. Consentit Aristoteles cum Antiphontis, Antisthenis, Xenophontis doctrina, cum tantum tribuat exercitationi virtutis et doceat, hanc exercitationem fieri solere assiduo cum bonis convictu cf. Ethic. Nicom. IX, 9, 7: Γίνοιτο δ'ἂν καὶ ἄσκησίς τις τῆς ἀρετῆς ἐκ τοῦ συζῆν τοῖς ἀγαθοῖς, καθάπερ Θέογνίς φησιν. Ubi Aristotelem versus 29 sqq. in mente habere nemo negabit. Vides igitur tanquam typicam, ut ita dicam, factam esse commemorationem horum versuum Theognideorum in quaestione de virtutis doctrina. Vix aliter hoc intellegi poterit, nisi ita ut ad commentationem quandam notissimam omnes hos auctores redire statuas, in qua eadem in quaestione hi versus Theognidei adhibiti fuerint. Etiam hac via rursus ad Antisthenem duci videmur, quem versus Theognideos usurpasse ac peculiari libro tractasse, non desunt testimonia, ut vidimus.

Eidem versus in capite XII eiusdem Ethicorum libri inveniuntur, ubi rursus agitur de exercitatione virtutis, quoad nititur in amicitia: ‚Γίνεται οὖν ἡ μὲν τῶν φαύλων φιλία μοχθηρά. κοινωνοῦσι γὰρ φαύλων ἀβέβαιοι ὄντες. καὶ μοχθηροὶ δὲ γίνονται ὁμοιούμενοι ἀλλήλοις· ἡ δὲ τῶν ἐπιεικῶν ἐπιεικής, συναυξανομένη ταῖς ὁμιλίαις. δοκοῦσι δὲ καὶ βελτίους γίνεσθαι ἐνεργοῦντες καὶ διορθοῦντες ἀλλήλους· ἀπομάττονται γὰρ παρ' ἀλλήλων, οἷς ἀρέσκονται, ὅθεν ‚Ἐσθλῶν γὰρ ἄπ' ἐσθλά......

In libri X cap. IX Ethic. Nic. Aristoteles transit ab ethicis doctrinis ad politicas. In § 7 facit mentionem Theognidis, ubi

versus 429 sqq. cum in mente habuisse, elucet ex his verbis: ,Εἰ μὲν οὖν ἦσαν οἱ λόγοι αὐτάρκεις πρὸς τὸ ποιῆσαι ἐπιεικεῖς, πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους δικαίως ἔφερον κατὰ τὸν Θέογνιν, καὶ ἔδει ἂν αὐτοῖς πορίσασθαι. Consentit igitur hac in re Aristoteles cum poeta, quod dicit, doctrinam solam non sufficere ad virtutem parandam cf. et. § 1.

Nihil vero nobis maiori lucro esse potuit, quam hoc ipsum caput Ethic. Nicom. Nam nostra quasi causa Aristoteles complectitur diversas priorum philosophorum doctrinas de virtute comparanda, de quibus adhuc egimus. cf. § 6: ,Γίγνεσθαι δ'ἀγαθοὺς οἴονται οἱ μὲν φύσει, οἱ δὲ ἔθει, οἱ δὲ διδαχῇ.'

Tum Aristoteles omnes has rationes examinat, omnes magis minusve probat, nullam vero sufficere censet ad perficiendam virtutem ἐν τοῖς πρακτοῖς, i. e. in republica gerenda, ubi primarium obtinere locum leges.

Paucis absolvit eos, qui virtutem ingeneratam esse contendunt, cum iis obiciat: ,Τὸ μὲν οὖν τῆς φύσεως δῆλον ὡς οὐκ ἐφ' ἡμῖν ὑπάρχει, ἀλλὰ διά τινας θείας αἰτίας τοῖς ἀληθῶς εὐτυχέσιν ὑπάρχει,' in quibus agnoscitur Platonis doctrina, quae profertur in Men. dial. cf. praec. 99[d] eo discrimine interposito, ut Aristoteles coniungat eos, qui φύσει et θείᾳ μοίρᾳ (Plato) boni sunt, quos Plato separat.

Non minus improbat eam Platonis doctrinam, quam tractatam invenimus in Gorgia et Protagora praecipue dialogis, in Rep. lib. IV et al. ll., virtutem discendo comparari posse: ,ὁ δὲ λόγος καὶ ἡ διδαχὴ μήποτε οὐκ ἐν ἅπασιν ἰσχύῃ.'

Omnium virtutis doctrinarum eam plurimi aestimat, quae primum tribuit locum ἀσκήσει καὶ ἔθει καὶ παιδεύσει, eam igitur, quam commendasse, cognovimus Antisthenem, Xenophontem, Isocratem (cf. or. de perm. § 278/79).

Cur hanc doctrinam pluris aestimet, facile est intellectu: ,Platonis doctrina perfectissima et pulcherrima erat, quod attinet ad ideam, sed ad effectum non potuit adduci, quod parum respiciebat veras res humanas et publicas: ,οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά', ,οὐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν τὸ εἰδέναι (cf. Plat.), ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον, ἢ εἴπως ἄλλως ἀγαθοὶ γενόμεθα' cf. et. Eth. Nic. VII, 3 sqq.

Neque vero haec ἀσκήσεως doctrina sufficit, cum vulgus

hominum, ut necessitati potius quam rationibus et verbis, ita damnis potius pareat et poenis, quam pulchro et honesto. Itaque usui civitatis solum sufficere leges, quibus animadversiones et poenae constituantur inoboedientibus et natura ad virtutem non idoneis.

Versum 147 Theogn. Aristoteles laudat in Ethic. Nic. V, 1, 15. Poetico quodam colore et magno animi ardore hoc loco praedicatur eadem δικαιοσύνη, quam Plato primam et excellentissimam omnium nominavit virtutum (cf. legg. 630[a] sqq.). Haec sunt pulchra Aristotelis verba: ‚Αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία (cf. Plat. l. l. δικαιοσύνην τελέαν), ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ πρὸς ἕτερον. Καὶ διὰ τοῦτο πολλάκις κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. (cf. Eur. Melan. Nauck. frg. 486) καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν ‚ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐνι' (Theogn. 147).

Proverbii igitur instar Aristoteles hoc versu utitur. Qui auctor fuerit huius versus veteres non magis quam nos cognitum habuisse videntur. Anonymus enim commentator ad hunc Aristotelis locum tradit, etiam Theophrastum hunc versum proverbii loco usurpasse in primo libro ἠθῶν, in primo vero ἠθικῶν libro eundem commemorasse tamquam Phocylideum. cf. frg. 17 Phocyl. (B.).

Poesin Theognideam facile converti potuisse ad proverbialem usum et patet ex indole poeseos gnomicae, et posteriores testantur paroemiographi, qui magnam copiam versuum Theognideorum in suas collectiones receperunt[10].

Versus 14 Theogn. proverbii rursus instar (cf. λόγος, ut nominat Aristot. aliam sententiam, quam eodem loco citat) citatur in Mor. Eud. VII, 10, 21, ubi de δικαιοσύνης quoque definitione

---

adn. 10. Versum 432 Theogn. a Clearcho sic ad proverbialem usum mutatum invenis apud Athen. VI, 256[c] ‚ὧν ἰατρεῦσαι τὴν ἄγνοιαν οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτόγε νομίζω δεδόσθαι'. cf. id. ap. Dio Chrys. I p. 2, 20 (Dind.) et Plut. quaest. Plat. I, 3.

Quam noti fuerint quidam versus Theognidei, etiam parodia vv. 215 sqq. testatur, quae invenitur apud Philostr. vit. soph. I, 5 p. 486. ... ὅθεν καὶ παρῳδοῦν τινὲς ἐπ' αὐτῷ τόδε τὸ ἐλεγεῖον·

‚Πανσόφου ὀργὴν ἴσχε Φιλοστράτου, ὃς Κλεοπάτρᾳ
νῦν προσομιλήσας τοῖος ἰδεῖν πέφαται.'

Parodiae autem non nisi notissimorum versuum fieri solent.

agitur: ,Καὶ ἔχει δὴ ἀπορίαν ποτέρως δεῖ κρίνειν τὸν δίκαιον, πότερα πρός τὸ πρᾶγμα βλέποντα τὸ ὑπηρετηθέν, πόσον ἢ ποῖον, ἢ τῷ πεπονθότι. Ἐνδέχεται δὲ εἶναι, ὅπερ λέγει Θέογνις·

,Σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν· ἐμοὶ δὲ μέγα.'

Ἐνδέχεται γὰρ καὶ τοὐναντίον γενέσθαι, ὥσπερ ἐν τῷ λόγῳ ,σοὶ μὲν παιδιὰν τοῦτ' εἶναι, ἐμοὶ δὲ θάνατον.'

In Eud. Mor. III, 1 v. 177 Theogn. citatur. De ἀνδρεία hoc loco agitur, impugnatur § 28 sq. sententia eorum, qui contendunt, fortes nominari eos, qui audacius pugnent: ,οὔτε δι' ὃ θαρραλεώτερον ἀγωνίζονται, τοῦτο ἀνδρεία. καὶ γὰρ ἂν ἡ ἰσχὺς καὶ ὁ πλοῦτος' κατὰ Θέογνιν ἀνδρεία εἶεν· ,πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος' ...Ἀλλὰ πάντων τῶν τοιούτων κτλ.

Ex more Aristotelico hic rursus initium solum versuum citatur, ut lectores ex ipsorum memoria reliqua adiciant; offendit hoc ipso loco hic mos, cum ea pars versuum omittatur, quae continet confirmationem sententiae antecedentibus tractatae, dico verba:

,οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.'

In eodem denique scripto citantur v. 125 sqq. cf. Eud. Mor. VII, 2, 40, ubi agitur de amicitia, in qua primum locum fides obtineat, quae sententia illustratur his versibus Theognideis ,Οὐκ ἔστι δ'ἄνευ πίστεως φιλία βέβαιος, ἡ δὲ πίστις οὐκ ἄνευ χρόνου. Δεῖ γὰρ πεῖραν λαβεῖν, ὥσπερ καὶ λέγει Θέογνις·

,Οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὐδὲ γυναικός,
πρὶν πειραθείης ὥσπερ ὑποζυγίου.'

Restat, ut de Aristotelico dialogo περὶ εὐγενείας agamus, ubi una cum Euripidis versibus citatur nomen Theognidis[11].

Locus servatus est a Stobaeo, cf. flor. 87, 25: Ἐκ τοῦ Ἀριστοτέλους περὶ εὐγενείας· Ἀμφισβητεῖται δέ, καθάπερ καὶ περὶ τοῦ πηλίκου ἀγαθόν ἐστιν, οὕτω καὶ τίνας δεῖ καλεῖν εὐγενεῖς. οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γονέων εὐγενεῖς εἶναι νομίζουσιν, καθάπερ καὶ Σωκράτης· διὰ γὰρ τὴν Ἀριστείδου ἀρετὴν καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ

adn. 11. Non dubitari potest, quin genuinus sit hic Aristotelis dialogus. cf. Bernays, die Dial. d. Arist. p. 140 ff. Heitz, Verlorene Schriften des Arist. p. 202 sq., Zeller, Phil. d. Gr. II⁴, p. 54, adn. 2.

γενναίαν εἶναι. Σιμωνίδην δέ φασιν ἀποκρίνασθαι διερωτώμενον τίνες εὐγενεῖς, τοὺς ἐκ πάλαι πλουσίων φάναι· καίτοι κατὰ τοῦτον τὸν λόγον οὐκ ὀρθῶς ἐπιτιμῶσιν ὁ Θέογνις οὐδ' ὁ ποιητὴς ὁ ποιήσας ὡς ἔτι

‚τὴν μὲν εὐγένειαν αἰνοῦσι βροτοί,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖσι πλουσίοις.'
(Eur. Thyest. fr. 395 N.)

Quamquam nomen solum Theognidis profert Aristoteles, tamen nemo non intellegit, eum versus 183 sqq. in mente habuisse. Summa erant auctoritate hi ipsi versus apud antiquos, nam per totam antiquitatem notitiam eorum persequi possumus. Ac plurimum quidem valebant apud philosophos, qui pro diversis doctrinis et rationibus diverse eos interpretabantur[12].

Quo modo Aristoteles versus Theognideos interpretatus sit, optime cognosces, si composueris eos cum versibus Euripidis, quos una cum Theognide profert. Opponuntur his in versibus inter se εὐγένεια et πλοῦτος, ac patet εὐγένειαν hic significare ‚nobilitatem a maioribus acceptam et ad filios traditam', id quod nos nominamus ‚Geburtsadel'. Eadem est εὐγένεια, quae etiam invenitur in Eur. Electr. 1097.

‚Ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰσιδὼν
γαμεῖ πονηράν, μῶρός ἐστι· μικρὰ γὰρ
μεγάλων ἀμείνω σώφρον' ἐν δόμοις λέχη.

cf. id. Eur. Electr. 34 sqq. Androm. 1279 sqq. Danae frg. 326.

Ut apud Theognidem, sic etiam apud Aristotelem bestiae in comparationem vocantur, atque Aristoteles per totum dialogum hos Theognidis versus ante oculos habuisse videtur (cf. eandem comparationem repetitam eodem in libro Arist. Stob. flor. III p. 166, 24 (Mein.).

adn. 12. Quantum vexaverit vocabuli εὐγενής interpretatio antiquos, optime cognoscitur ex Aristotelis ipsius verbis in eodem dialogo. cf. Stob. flor. 86, 24.

Diversas adfert interpretationes εὐγενείας, ipse rem ita absolvit, ut etymologicam proferat interpretationem. cf. Stob. 86, 25 fin. et 87, 13 fin.: ‚Δῆλον ἄρ' ὅτι ἔστιν ἡ εὐγένεια ἀρετὴ γένους' quibuscum optime congruunt alii loci apud Aristotelem cf. Polit. IV, 6, 5, tum cf. Polit. I, 6. III, 13. IV, 8. V, 1. rhet. II, 15.

Academici ita se expediunt ex hac difficultate, ut quattuor genera εὐγενείας admittant. cf. Diog. Laert. III, 88 sq.

Quam verum sit illud ἀμφισβητεῖσθαι, optime cognoscitur ex Euripidis tragoediis. Persaepe enim εὐγενείας quaestio tractatur ab Euripide, et omnes definitiones, quas postea Academici proferebant, iam in Euripidis tragoediis inveniuntur.

Hi sunt Aristotelis loci, memoratione digni, ubi mentio fit Theognidis. Omnibus his locis demonstratur, versus Theognideos Aristoteli eiusque aetati notissimos fuisse.

Omnes philosophi, quos adhuc tractavimus, scholarum erant auctores, discipulos habebant, sed ex copia discipulorum scriptorum pauca solum supersunt fragmenta, quae non sufficiunt, ut accurate demonstrare possimus, quanta fuerit Theognidis auctoritas apud eos, sed acquiescendum nobis est, cum statuimus, discipulos hac in re magistrorum vestigia secutos esse.

Ex secundariis solum fontibus colligere possumus, quantum versus 183 sqq. Theogn. valuerint apud Cynicos eorumque sectatores.

Cynicos acerbissimos fuisse inimicos ut omnium bonorum externorum, ita etiam nobilitatis sanguinis, notum est. Inde quoque fiebat, ut eas notiones, quae principio politicum vel socialem habebant sensum, ad moralem vitam transferrent. Hoc etiam factum est de notione εὐγενείας, qua in re eis nonnulli sophistae praeibant, ut Aristoteles testatur in dialogo περὶ εὐγενείας. cf. Stob. flor. 86, 24, ubi Lycophron sophista nobilitatem nominat κενόν τι πάμπαν et haec profert de εὐγένεια: ‚εὐγενείας μὲν οὖν ἀφανὲς τὸ κάλλος, ἐν λόγῳ δὲ τὸ σεμνόν.‘ Hic concurrunt sophistae et Cynici. Nam quo modo Antisthenes interpretatus sit εὐγένειαν, cognosci potest ex dicto Antisthenis, quod servatum est apud Diog. Laert. VI, 10: ‚τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους‘ et Diogenis Cynici dictum Diog. L. VI, 72: ‚εὐγενείας δὲ καὶ δόξας καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα διέπαιζε προκοσμήματα κακίας εἶναι λέγων. cf. et. Stob. 86, 19: εὐγενέστατοι οἱ καταφρονοῦντες πλούτου, δόξης, ἡδονῆς, ζωῆς.

Aliud Diogenis dictum apud Plut. de cupid. div. 7, praestare Μεγαρέως εἶναι κριὸν ἢ υἱόν. recte Welckerus proll. ad Theogn. edit. pag. LVII ad Theognidis versus 183 sqq. referre videtur. Consentit Diogenes cum Theognide, sed eo discrimine interposito, ut Theognis queratur de sanguine depravato, Diogenes de animo moribusque Megarensium.

Eorumdem versuum sententiam reperies apud alium Cynicum, in epist. XXIV Cratetis, quam epistulam etsi non genuinam, tamen falsarium confecisse genuinis fontibus Cynicis usum nemo negabit (cf. Marcks, symb. crit. ad epistologr. Graec. Bonn 1883 pag. 15 et 18. R. Heinze, Rhen. Mus. 45 p. 508).

Haec sunt verba epistulae: ‚οὐ γεγόνασιν οἱ ἄνθρωποι τῶν ἵππων χάριν, ἀλλ' οἱ ἵπποι τῶν ἀνθρώπων, ὥστε πειρᾶσθε ὑμῶν [μᾶλλον] (Hercher) ἢ τῶν ἵππων ἐπιμελεῖσθαι. ἐπεὶ εὖ ἴστε ὅτι ἕξετε ἵππους πολλοῦ ἀξίους αὐτοὶ ὀλίγου ἄξιοι ὄντες.

Eodem modo versus 183 sqq. tractati inveniuntur in alio fragmento, quod apud Stob. flor. 88, 14 sub Xenophontis nomine traditur. At nullo alio loco hic Xenophontis περὶ Θεόγνιδος liber memoratur neque in catalogo Xenophontis scriptorum apud Diog. L. II, 56, cum reliqua omnia Xenophontis, quae Diogenes citat, ad nos pervenerint. Cum haec tum alia causa obstat, quae a viris doctis adhuc neglecta est. Nequaquam enim Xenophon in libro, quem ipse περὶ ἱππικῆς scripsit, sequitur illam rationem, quae in fragmento Stobaeano commendatur, ut, si quis scribat librum περὶ ἱππικῆς initium faciat ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι. Nam Xenophontis ipsius liber περὶ ἱππικῆς incipit ab consiliis dandis de emptione et exercitatione equorum, ita ut magis ad equitem quam ad equum pertineat.

At unde Xenophontis nomen in lemma venit? Notum est, persaepe apud Stob. et alios florilegiorum auctores lemmata, quae in margine plerumque posita erant — alia est ratio in antiquissimo florilegio, nuperrime in papyris invento cf. Flind. Petrie pap. tab. III, ubi nomina auctorum praescripta sunt — corrupta esse aut ita, ut duo vel plura lemmata, quae deinceps sequebantur, inter se permutarentur aut alio modo genuina forma privarentur. cf. Diels: ‚Die Quellen des Stob.' Rh. Mus. 30 p. 174 et 181 sqq. Wilamow. Herakl. I p. 171 sq.

Quomodo Xenophontis nomen in lemma irrepserit, recte vidit Rauschius cf. Quaest. Xenoph. Halle 1881, cum dicat, librario cuidam, cum legeret verba ‚ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειε περὶ ἱππικῆς' in mentem venisse Xenophontis librum περὶ ἱππικῆς, cuius nomen tum in margine adnotaret. Ex margine perfacile nomen in lemma venire et veram inscriptionem suo loco movere potuisse. Tamen improbo, quod Rauschius putat in margine adnotatum fuisse ‚ἔστι Ξενοφῶντος σύγγραμμα', unde in textum irrepsisset ‚σύγγραμμα' verbum, in lemma ‚Ξενοφῶντος', tum librarium quendam illiteratum et levem, cum ignoraret, ex quo Xenophontis libro illud fragmentum depromptum esset, rem ita expedivisse, ut alteram inscriptionis partem de suo adderet ‚ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος', quoniam totius fragmenti

argumentum ad eius poesin pertineret. Vides nimis artificiose hoc excogitatum esse et niti parum certis argumentis.

Verbum ,σύγγραμμα' iam Sitzlerus delere voluit, cf. praef. ad Theogn. edit. p. 4, adn. 27, cum statueret, σύγγραμμα glossema esse, depromptum ex verbo συγγράψειεν, quod sequitur. Sane offendit poesin quandam σύγγραμμα nominari, ut pedestre opus. Sed simile quid etiam invenitur apud Xenoph. Mem. IV, 2, 9—12 et IV, 2, 1, ubi et philosophorum scripta et poetarum opera συγγράμματα nominantur.

Talis significatio poeseos prorsus sophistarum sapientiam resipit, cf. praec. Plat. Prot. 316, ubi Prot. contendit poetas ipsos sophistas et esse et fuisse. cf. et. Plat. Lys. pag. 214[a], ubi ποιητῶν testimonia componuntur cum ,συγγράμμασι τῶν σοφωτάτων'.

Quis vero fuit auctor huius fragmenti? Bergkius putat, haec esse verba eiusdem Aristotelis dialogi περὶ εὐγενείας, ex quo aliud fragmentum antecedit, excidisse enim aliud ex Xenophonte excerptum, fortasse Ages. I, 2 et ex lemmate huius fragmenti superesse nomen Xenophontis, primum autem fuisse titulum ,Ἀριστοτέλους ἐκ τοῦ περὶ εὐγενείας'. Idem etiam coniecerat Rauschius l. l., antequam Bergkii ,Poetae lyrici' quartum editi erant.

At contra facit interpretatio versuum qualem in dialogo περὶ εὐγενείας (cf. Stob. flor. 86, 25) Aristotelem dedisse supra vidimus. Adversantur enim fragmenti verba haece: οἱ δὲ πολλοὶ ἐκ τούτων τῶν ἐπῶν οἴονται τὸν ποιητὴν πολυπραγμοσύνην τῶν ἀνθρώπων κατηγορεῖν, καὶ ἀντὶ χρημάτων ἀγένειαν καὶ κακίαν ἀντικαταλλάττεσθαι εἰδότας' (Stob. ed. Mein. III p. 167, 31 sqq.) Nam hic reicitur ea ipsa interpretatio versuum 183 sqq., quam Aristoteles dialogi loco supra laudato profert.

Immo si haec comparaveris cum dictis Diogenis et Cratetis supra memoratis, vides eodem modo homines cum bestiis comparari ac vituperari, quod bestias magis curent, quam se ipsos.

Iam apud Platonem invenitur haec comparatio, et Platonem illo loco in mente habuisse versus 183 sqq. plus quam verisimile est. cf. praec. Plat. Rep. 459[abd], quibuscum porro cf. legg. IV, 721[c], VI, 775[c], VIII, 838[e] sqq.[13].

adn. 13. Hoc etiam loco quodam Themistii cf. Βασανίστης 248[d] confirmari videtur, ubi Themistius, postquam Platonicas exscripsit sententias, sic pergit: ,Ἆρα

Consentit autem Plato de liberorum generatione cum Antisthene, cf. Dümmler. Antisthenica pag. 3 sqq. Antisthenem versatum esse in his quaestionibus, Diog. Laert. testatur, a quo citantur (VI, 15): ‚περὶ ζῴων φύσεως, περὶ παιδοποιίας ἢ περὶ γάμου'. Eadem tum sententia, quam apud Platonem invenimus Rep. 459[d], Δεῖ μέν, εἶπον, ἐκ τῶν ὡμολογουμένων τοὺς ἀρίστους ταῖς ἀρίσταις συγγίγνεσθαι ὡς πλειστάκις, exprimitur dicto quodam Antisthenico Diog. L. VI, 11: ‚γαμήσειν τε (scil. σοφόν) τεκνοποιίας χάριν, ταῖς εὐφυεστάταις συνιόντα γυναιξίν.

Cum his praeterea conferendi sunt Ocellus Lucanus, de universa nat. IV, 2 sq. et Iamblichus, de vit. Pyth. § 211 sqq., quorum communem auctorem fuisse Aristoxenum his in capitibus, sequitur ex fragmento Aristoxeni apud Stob. flor. 101, 4. (cf. E. Rohde, Rh. Mus. 26 pag. 554 sqq. et 27 p. 23 sqq. in comment. ‚Die Quellen des Iamblich.' tum Cobet, coll. crit. II p. 391—394).

Necesse est, ut componamus locos trium horum auctorum:

Stob. 88, 14	Occll. Luc. IV, 14	Iambl. § 212
ἔδοξεν οὖν αὐτῷ παρα-	οὔτε γὰρ δίκαιον τοὺς	δῆλον δ' ὅτι καὶ τοὺς
δείγμασι τοῖς ἄλλοις	μὲν φιλίππους καὶ	λοιποὺς τῶν ἐσπουδα-
ζῴοις χρήσασθαι, ὅσα	φιλόρνιθας καὶ φιλό-	κότων περὶ τὰ γεν-
μὴ εἰκῇ τρέφεται,	κυνας μετὰ πάσης	ναῖα τῶν ζῴων πᾶσαν
ἀλλὰ μετὰ τέχνης	ἐπιμελείας φροντίδα	ποιεῖσθαι σπουδὴν
ἕκαστα θεραπεύεται.	ποιεῖσθαι τῶν γιγνο-	περὶ τοῦ μὴ εἰκῇ
ὅπως γενναιότατα	μένων ὡς δεῖ καὶ ἐξ	γίγνεσθαι τὰς γεν-
ἔσονται κτλ... Ταῦτα	ὧν δεῖ καὶ ὅτε δεῖ καὶ	νήσεις αὐτῶν, τοὺς
τὰ ἔπη λέγει τοὺς ἀν-	πῶς διακειμένων γί-	δ' ἀνθρώπους μη-
θρώπους οὐκ ἐπίστα-	γνεσθαι τὰς μίξεις	δένα λόγον ποιεῖ-
σθαι γεννᾶν ἐξ ἀλ-	καὶ τὰς κοινωνίας τοῦ	σθαι τῶν ἰδίων ἐκ-
λήλων. κᾆτα γίγνε-	μὴ ὡς ἔτυχε γίγνε-	γόνων. ἀλλ' ἅμα γεν-
σθαι τὸ γένος τῶν	σθαι τὰ γεννώμενα,	νᾶν εἰκῇ τε καὶ ὡς
ἀνθρώπων κάκιον	τοὺς δ' ἀνθρώπους	ἔτυχε σχεδιάζοντας
ἀεὶ μιγνύμενον τὸ	μηδένα ποιεῖσθαι	πάντα τρόπον καὶ
χεῖρον τῷ βελτίονι.	λόγον τῶν ἰδίων	μετὰ ταῦτα τρέφειν

οὖν ἐλήρει Θέογνις, ἀγανακτῶν τε καὶ σχετλιάζων, ὅτι ταῦτα ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων φροντίζομεν, ἐπ' ἀνθρώπων δὲ παρορῶμεν καὶ οὐκ οἰόμεθα ξυνέχειν; (cf. Cynicorum versuum 183 sqq. interpretationem). Idem igitur ac nos sensit Themistius, Platonem in Rep. 459[a] sqq. in mente habuisse versus Theognideos.

ἐκγόνων, ἀλλὰ καὶ γεννᾶν ὡς ἔτυχε καὶ γεννωμένων ὀλιγωρεῖν καὶ τῆς τροφῆς καὶ τῆς παιδείας. Ταῦτα γὰρ ἀμελούμενα πάσης κακίας καὶ φαυλότητος παραίτια γίγνεσθαι βοσκηματώδη καὶ ἀγεννῆ ἀποτελοῦντα τὰ γεννώμενα.

τε καὶ μετὰ πάσης ὀλιγωρίας. Ταύτην γὰρ εἶναι τὴν ἰσχυροτάτην καὶ σαφεστάτην αἰτίαν τῆς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων κακίας τε καὶ φαυλότητος. βοσκηματώδη γὰρ καὶ εἰκαῖά τινα γίγνεσθαι τὴν τεκνοποιίαν παρὰ τοῖς πολλοῖς.

Quibuscum si comparas epistulam 24 Cratetis, vides omnes hos locos eandem continere sententiam. Idem quoque tractatur eodem more a Musonio Stoico, quem, sicut omnes posteriores Stoicos, magis magisque vestigia priorum Cynicorum pressisse, notum est, cf. Musonii locum ap. Stob. flor. III p. 32/33 (Mein.) sub lemmate: ‚Μουσωνίου ἐκ τοῦ τίτλου ‚κεφάλαιον γάμου.‘ Etiam hic physica et moralis proponitur interpretatio verborum: κακίας φαυλότητος ἀρετῆς κτλ.

Offendet fortasse prae physica interpretatione moralem nimis neglectam esse. Respondeo, fragmentum non integrum servatum esse, neque omissam fuisse moralem partem interpretationis in eis quae non servata sunt, hoc testantur verba ipsa in initio posita ‚οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγου πεποίηται, ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων‘.

Tum cf. Iambl. et Ocell. Luc. l. l., ubi post physicam partem ad moralem transitur: ‚καὶ μετὰ ταῦτα τρέψειν τε καὶ μετὰ πάσης ὀλιγωρίας‘ (Iambl.) et ‚καί γεννώμενον ὀλιγωρεῖν καὶ τῆς τροφῆς καὶ τῆς παιδείας‘ (Ocell. Luc.[14]).

---

adn. 14. cf. idem argumentum tractatum a Varrone in satiris Menipp., ubi morem scribendi Cynicum Varronem imitatum esse, notum est. cf. sat. Men. v. 236 (Buech.): ‚nemo est tam neglegens, quin summa diligentia eligat asinum, quisnam saliat equilam.‘ et v. 502: ‚an si equam emisses quadripedem et meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem, dedisses equimenti.‘

cf. praet. Iuven. sat. VIII, 56 sqq., qui prorsus sequitur hac in re veterem doctrinam Cynico-Stoicam cf. praec. VIII, 20: ‚nobilitas sola est atque unica virtus, cum Antisthenis dicto ‚τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους.‘ cf. et. Dio Chrys. XV p. 268, 10 sqq. (Dind.), qui eandem sequitur disciplinam.

Idem denique confirmari videtur Xenophontis loco Mem. IV, 4, 23, ubi agitur de eadem re neque minus moralis quam physica virtus commendatur ad nuptias faciendas ,῞Οτι νὴ Δί, ἔφη, οὐ μόνον ἀγαθοὺς δεῖ τοὺς ἐξ ἀλλήλων παιδοποιουμένους εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀκμάζοντας τοῖς σώμασιν'.

Xenophon vero ab Antisthene quantum penderet, iam supra vidimus.

Omnia haec favent coniecturae meae, Antisthenem fuisse auctorem huius τεκνοποιίας doctrinae, ac posteriores eius vestigia secutos esse. Magnam autem fuisse Antisthenis auctoritatem apud posteriores hoc nescio an optime cognoscatur ex Theopompi iudicio, qui, quamquam fuit Isocratis, Antisthenis igitur adversarii, discipulus, tamen solum ex Socraticis laudavit Antisthenem, cf. Athen. XI, 508[c], Diog. L. VI, 14 (cf. et. Hirzel, Rh. Mus. 1892 p. 359 sqq.).

Iam vero cum sciamus Antisthenem librum περὶ Θεόγνιδος scripsisse et cum viderimus argumentum fragmenti, quod servatum est apud Stob., optime quadrare ad doctrinam Cynicam, nulla mihi facilior esse videtur emendatio, quam ut lectio lemmatis ,Ξενοφῶντος' mutetur in ,Ἀντισθένους'.

Accedunt alia argumenta: Definitionem poeseos Theognideae (οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενός ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων), si comparaveris cum aliis Cynicorum de poetis iudiciis, praecipue de Homero, videbis etiam hanc Cynicum prorsus resipere, cf. Plato, Rep. X, 598[d], ubi Antisthenem impugnari, recte vidit Dümmlerus, Antisth. p. 25 sqq., his verbis: ,οὐκοῦν, ἦν δ'ἐγώ, μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον τήν τε τραγῳδίαν καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς, Ὅμηρον, ἐπειδή τινων ἀκούομεν, ὅτι οὗτοι πάσας μὲν τέχνας ἐπίστανται, πάντα δὲ ἀνθρώπεια τὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ κακίαν κτλ.

Quocum loco E. Weberus rectissime comparat Dio Chrys. orat. LV p. 285 (p. 171 Dind.) ubi totam interpretationis rationem Antisthenicam esse, Webero concedendum est (cf. Leipz. Stud. X p. 226 sqq.). Socrates et Homerus inter se comparantur his verbis: πρὸς δὲ τούτοις ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐσπουδαζέτην καὶ ἐλεγέτην, ὁ μὲν διὰ τῆς ποιήσεως, ὁ δὲ καταλογάδην · περὶ ἀρετῆς ἀνθρώπων καὶ περὶ κακίας καὶ.... ὅπως δοξάζουσιν οἱ πολλοὶ καὶ ὅπως ἐπίστανται οἱ φρόνιμοι.

cf. et. orat. LIII p. 278 (166, 21 sqq. Dind.): τὰ μὲν ἄλλα

εἰ διεξίοι τις, πολὺ ἂν ἔργον εἴη, ὅσα πεποίηκε περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας (scil. Ὅμηρος)[15].

Etiam eristica Antisthenis natura in fragmento Stob. manifesta mihi videtur. Pugnacem hominem eum fuisse defensione Ulixis praecipue πολυτρόπου demonstratur (cf. Schol. Odyss. I, 1, Schrader, Porph. I p. 386, II p. 175) qua in re ne proximi quidem eius discipuli eum sequi audebant. Quae artificia Antistheni saepe adhibenda fuisse ad opinionem suam defendendam, testatur Dio Chrys. cf. or. 53, 276 R. Etiam in fragm. Stob. certaminis vestigia supersunt in verbis οἱ μὲν πολλοὶ — ἐμοὶ δὲ δοκεῖ.

Impugnatur interpretatio τῶν πολλῶν, quam certe ad poetae consilium multo magis respondisse, etiam Aristotelis interpretatio testatur (Stob. flor. 86, 25). Sed hoc demonstratur fragmenti verbis iam antea hos versus permultum (οἱ πολλοὶ) tractatos esse. Non errare videmur, si statuimus iam sophistas hos versus re-

---

adn. 15. Idem iudicium de Homero invenitur in Basilii Magni protreptica oratione ‚de legendis libris gentilium' cap. V (p. 7. Lotholz): ‚Ὡς δ'ἐγώ τινος ἤκουσα δεινοῦ καταμαθεῖν ἀνδρὸς ποιητοῦ διάνοιαν ‚πᾶσα μὲν ἡ ποίησις τῷ Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἐστιν ἔπαινος καὶ πάντα αὐτῷ πρὸς τοῦτο φέρει, ὅτι μὴ πάρεργον (cf. Stob. 88, 14: οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων). Si accuratius legeris cap. V Bas., videbis, totum caput Cynicorum rationem resipere (cf. et. E. Norden, Beiträge z. gr. Philos., Fleckeis. Supplbd. XIX, p. 383). Ut pauca eligam, cf. in universum virtutis laudationem, quae primum obtinet locum.

Tum de Hesiodo ‚ἢ τί ποτε ἄλλο διανοηθέντα τὸν Ἡσίοδον ὑπολάβωμεν ταυτὶ ποιῆσαι τὰ ἔπη, ἃ πάντες ᾄδουσιν, ἢ οὐχὶ προτρέποντα τοὺς νέους ἐπ' ἀρετήν;

Tum eadem reperitur sententia versuum Hesiodi Op. et D. 287 sqq. et Prodici de Hercule fabula, quae sunt apud Xenoph. in Mem. lib. II, 1, 20 sqq., quo in capite Antisthenis auctoritatem sequitur Xenophon. Tum explicantur versus Odysseae Cynico more atque idem dictum, quod apud Diog. L. VII, 12 Antistheni vindicatur ‚ἡ ἀρετὴ ἀναφαίρετον ὅπλον' reperitur. Versus denique Solonis frg. 15 = v. 315 sqq. Theogn. et Theognidis vv. 165 sqq. prorsus ad Cynicum sensum hic allati sunt ad laudandam virtutem prae divitiis. (cf. praet. cap. VIII, ubi eadem tractatur doctrina de auctoritate et vi μελέτης in virtute comparanda, quam Antisthenis fuisse scimus. Eadem fit comparatio cum corporis exercitationibus, quam novimus de Diogene Cyn. ex Diog. Laert. In eodem capite Sardanapalus commemoratur ῥαθυμίας et μαλακίας exemplum, cuius monumento carmen inscriptum Crates Cynicus invertisse dicitur (cf. Plut., de Alex. Magn. fort. II, 3 et Athen. VII, 337[a]. PLG[4] II p. 369 B).

Eandem denique Cynicam doctrinam reperis in cap. 9, ubi in σύγκρισι quadam πλούτου καὶ ἀρετῆς citantur Solonis vv. frg. 13, 71 sq. (B) = v. 227 Theogn. et v. 1155 Theogn., Diogenis Cynici laudatur τῶν ἀνθρωπίνων ὑπεροψία et Phidiae Polycletique τέχνη praefertur divitiis simillimo modo atque invenitur apud Teletem, Cynicorum sectatorem (cf. p. 34 Hense et Liban. Apol. Socr. p. 30, 25 (R). Omnia haec demonstrant, quantum Cynicorum auctoritas etiam posterioribus temporibus valuerit.

spexisse sive in moralibus scriptis sive in politicis. Nam comparationem illam hominum cum bestiis post Theognidem iam ante Cynicos usitatam fuisse, Euripides tragoediae et Aristophanis comoediae demonstrant, cf. Dümml. Prol. ad Rep. Plat. p. 57 sq.

His igitur interpretationibus suam opponit: ‚ἐμοὶ δὲ δοκεῖ ἄγνοιαν κατηγορεῖν περὶ τὸν αὐτῶν βίον. (cf. et. οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς ἀνθρώπους γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων.) Cuius autem sit haec doctrina, si quaeramur, Socratis esse respondendum erit. Atque optime hoc quadrat ad ea, quae nobis tradita sunt de protreptico libro Antisthenis. Nam scimus ex Diog. Laert. VI, 1, protrepticos Antisthenis dialogi formam habuisse, et ex Athenaeo XI, 784[c] concludendum est, Socratem unam fuisse personam dialogi protreptici.

Praeterea idem Diogenes tradit, Gorgiae dicendi genus rhetoricum Antisthenem expressisse in protrepticis, atque Gorgiae discipulum etiam ex Stob. fragm. elucere, haec verba indicare mihi videntur: ‚ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν. ἄρχεται γὰρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι.‘ Haec vero est sophistarum in epideicticis (panegyricis) orationibus consuetudo, ut proficiscantur a laudatione stirpis et generis hominum, cf. Gorg. Hel. 2, Plat. Men. 237[a], ubi imitatur Plato rationem sophisticam, Periclis epitaph. ap. Thuc. II, 35, Demosth. epit. p. 152 et alios.

Quae ratio posterioribus rursus commendatur temporibus a rhetoribus in artium libris. cf. Anaximenes, τεχν. ῥητ. 35 p. 225, 26 (Speng.) ‚ταῦτα δὴ διαλογισάμενοι μετὰ τὰ προοίμια πρώτην τὴν γενεαλογίαν τάξομεν. πρῶτον γὰρ τοῖς ἀνθρώποις καὶ τοῖς ἄλλοις ζῴοις τοῦθ' ὑπάρχει ἔνδοξον ἢ ἄδοξον‘ κτλ.

Antisthenes nimirum ad moralem virtutem transferebat hanc nobilitatis laudationem. Utriusque igitur magistri doctrinas in suum usum adhibet; quod vero ἄγνοιαν (ἐπιστήμην) tantum premit, concludendum est librum περὶ Θεόγν. scriptum esse non multo postquam Antisthenes Socratem eiusque ἐπιστήμης doctrinam novit. Quod confirmatur eis scriptis quibus fit mentio protreptici, Xen. sympos., Plat. symp. (117[b]), Plat. Men., ut demonstrare studui, Isocr. Hel. laud. (Blass I² p. 74 f.)[16].

---

adn. 16. Stoici hanc ἐπιστήμης doctrinam receperunt, ac Chrysippum eam accuratius explicuisse, notum est. cf. et Diog. Laert. VII, 93: εἶναι δὲ ἀγνοίας τὰς κακίας, ὧν αἱ ἀρεταὶ ἐπιστῆμαι.

Stob. ecl. II, 104: ἀφροσύνη est ἄγνοια ἀγαθῶν καὶ κακῶν.

Iam vero etiam aliud testimonium adesse puto, quo hoc ipsum Stob. fragmentum significari pro certo affirmaverim. Invenitur in Isocratis oratione ad Nicocl., cuius orationis si comparaveris § 12 cum illo, cognosces de eadem re utroque loco agi, sed diversa ratione. Utroque loco homines componuntur cum bestiis, utroque loco dicitur potestatem nobis esse, ut bestias meliores reddamus, sed cum in frgto. Stob. accusetur ἄγνοια ἀνθρώπων, quod se ipsos meliores facere nequeant, ab Isocrate hoc crimen reicitur his verbis, quibus hunc ipsum fragmenti locum significari censeo: ‚μηδὲ καταγνῷς (cf. καταγορεῖν ap. Stob.) τῶν ἀνθρώπων τοσαύτην δυστυχίαν, ὡς περὶ μὲν τὰ θηρία τέχνας εὑρήκαμεν, αἷς αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἡμεροῦμεν καὶ πλείονος ἀξίας ποιοῦμεν, ἡμᾶς δ'αὐτοὺς οὐδὲν ἂν πρὸς ἀρετὴν ὠφελήσαιμεν, ἀλλ' ὡς‘ κτλ.

Impugnat his verbis tecte morosam illam opinionem Antisthenis et Cynicorum, qui se solos esse sapientes et felices, omnes alios homines inscientes miserosque esse contenderent. Tamen etiam hoc loco Isocrates pro more suo aemulos imitatur, quamquam contra eos pugnat.

Nam cum pergat plurimum tribuendum παιδεύσει et ἐπιμελείᾳ in virtute comparanda, rursus sequitur sophisticam et Cynicam doctrinam.

Haec argumenta sufficere putamus ad coniecturam nostram confirmandam: falso igitur sub Xenophontis nomine traditum fragmentum Antistheni vindicandum est ac libro quidem ‚περὶ Θεόγνιδος‘[17].

Etiam longius progredi nobis licere puto: videtur enim fragmentum illud in initio libri positum fuisse. Hoc indicant verba ‚οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς‘ κτλ., quae si ex libro περὶ Θεόγνιδος hausta sunt, nullum alium locum obtinere potuisse patet nisi initium, atque optime excipiunt verba ‚Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως‘ (v. 22/23).

Quae vero tota fuerit libri indoles, ne hoc quidem sufficit fragmentum, ut perspicuam nobis fingamus imaginem. Auctorem autem etiam plura protulisse de Theognide quam quae apud

---

adn. 17. Quod O. Immisch (Comment. in hon. Ribb. p. 93) conatus est librum quendam anonymum περὶ Θεόγνιδος Xenophonti vindicare, nimis artificiosa eius argumenta esse et mihi videntur et aliis, opinor, videbuntur. (cf. et. E. Hübner, Deutsch. Ltrzt. 1889, p. 743.)

Stob. servata sunt, ipsa indicant verba ,ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν'. Num vero poetam non modo laudaverit, sed etiam correxerit vel vituperaverit, ut posteriores Cynici et Stoici, ad quos nunc transimus, de hoc nihil certi ex hoc fragmento colligi potest.

Priusquam transeamus ad quaestionem, qua fuerit auctoritate Theognis apud posteriores Cynicos et Stoicos, praemittendum est, perpauca superesse fragmenta neque haec sufficere, ut clare perspiciamus, quo modo illi iudicarint de poesi Theognidea. Rursus ex secundariis fontibus nobis hauriendum est. Apud Stobaeum varia fragmenta Teletis servata sunt, in quibus mentio fit versuum Theognideorum. Teletem imitatorem fuisse Bionis Borysthenitae ac saepe eius diatribas excerpsisse, accuratius ostendit Wilamowitz, cf. Philol. Unters. IV, sub tit. ,Teles, ein griech. Wanderprediger'. cf. et. Hense, praef. ad Telet. edit. E. Weber, Stud. Lips. X, p. 163, 1.

In Teletis diatriba περὶ πενίας καὶ πλούτου versus Theogn. 109 et 605 sic laudantur, cf. Hense p. 31, 6 sqq.: ὅταν δὲ ποιήσας ἀλαζόνα πολυτελῆ δεισιδαίμονα δοξοκόπον ἄπληστον χρήματα πολλὰ διδῷς, οὐδὲν περανεῖς. οὐκ ἀηδῶς γὰρ ὁ Φιλήμων·

,πλοῦτον μεταλήψεσθ' ἕτερον, οὐχὶ τὸν τρόπον'

τούτου δὲ μένοντος τοῦ αὐτοῦ ὁμοίως οὐκ ἀρκεῖται οὐδ' ἱκανοῦται, ἀλλ' ἐπιθυμίας καὶ ἐπιβολὰς τοιούτων καὶ τοσούτων ἔχει, ἐξ ὧν ἐν ἐνδείᾳ καὶ σπάνει ἔσται·

,ἄπληστον γὰρ ἔχουσι κακοὶ νόον' (Theogn. 109).

Et Philemonis et Theognidis versus hic adhibentur ad auctoris sententiam confirmandam.

Versus 605 alio loco citatur eiusdem, ut videtur, diatribes (Hense p. 34). Praemittitur thesis: ,ἡ πενία κωλύει πρὸς τὸ φιλοσοφεῖν, ὁ δὲ πλοῦτος εἰς ταῦτα χρήσιμον'. Quod adversarius (i. e. Teles) redarguere studet: ,Οὐκ εὖ· πόσους γὰρ οἴει δι' εὐπορίαν ἢ δι' ἔνδειαν κωλυθῆναι σχολάζειν; ἢ οὐχ ὁρᾷς, ὅτι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ πτωχότατοι φιλοσοφοῦσιν, οἱ δὲ πλούσιοι διὰ ταῦτ' αὐτὰ ἐν τῇ πάσῃ ἀσχολίᾳ εἰσίν; οὐ κακῶς δὲ καὶ Θέογνις λέγει·

,πολλῷ τοι πλείους λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας'.

Ut his locis laudatur Theognis, ita in eadem certe re vitu-

peratur a Bione, cf. Plut., de aud. poet. 4: Χαρίεν δὲ καὶ τὸ τοῦ Βίωνος πρὸς τὸν Θέογνιν λέγοντα·

,πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.'

πῶς οὖν σὺ πένης ὢν φλυαρεῖς τοσαῦτα καὶ καταδολεσχεῖς ἡμῶν;

Recte monuit Hense proll. ad Tel. p. LXXI etiam haec in Bionis quadam diatriba ita posita fuisse, ut refutarentur. Quibus verbis, dum adversarium eludit Bion, etiam Theognidem cavillatur.

Eosdem versus Stoici quoque, vel potius Chrysippus, castigabant teste Plutarcho, de Stoic. repugn. § 14: ,Ποτὲ δὲ τὸν Θέογνιν ἐπανορθούμενος· ,Οὐκ ἔδει, φησίν, εἰπεῖν·

,χρὴ πενίην φεύγοντα κτλ.

μᾶλλον δὲ

,χρὴ κακίην φεύγοντα κτλ.

In suum igitur usum Chrysippus versus Theognideos mutavit et corrigere studuit (ἐπανορθούμενος)[18].

Aggreditur Plutarchus Stoicos et repugnantias in eorum doctrina detegere studet.

Idem fit alio loco Plutarchi, ubi de iisdem versibus Theognideis agitur, cf. de comm. not. XXII, 8: Τὸν τοίνυν Θέογνιν αὐτοὶ παντελῶς ἀγεννῆ καὶ μικρὸν ἡγοῦνται λέγοντα·

,χρὴ πενίην φεύγοντα κτλ.

οὕτως ἀποδειλιῶντα πρὸς τὴν πενίαν ἀδιάφορον οὖσαν· ἀλλ' αὐτοί γε ταὐτὰ πεζῷ λόγῳ παρακελεύονται κτλ.

Unde cognoscas non modo correctum esse Theognidem a Stoicis, sed etiam vituperatum.

---

adn. 18. Chrysippus saepius fortasse reliquis omnibus poetarum testimonia attulit ad doctrinam suam comprobandam. Quod nescio an nullo alio loco melius declaretur quam Diogenis Laert. dicto VII, 7, 180 (Χρυσίππου Μήδειαν). cf. 181 ibid. Apollodori dictum, ibid. X, 27, tum cf. praec. Galeni testimonia in libro ,de plac. Hipp. et Plat.' p. 274 (Müll.) 260. 281. 300. Posidonium hac in re eum secutum esse idem testatur Galenus p. 372, 12 et 374 (cf. et. Diels, Sibyll. Blätt. p. 21). Impugnat Galenus hunc citandi morem similiter ac Plato eandem rationem sophistarum et Antisthenis. Qua in re nescio an Plutarchum sequatur, cum non minus quam ille repugnantias Stoicorum et in his allatis versibus et in universa doctrina detegere studeat. Galenum novisse Plutarchi libros, quos contra Stoicos scripsit, pro certo affirmari potest, quem quidem cum laude nominet p. 266 (Müll.).

Plutarchi vituperationem Stoicorum non semper iniustam fuisse, testimonium quoddam demonstrare videtur, quo voluntaria mors commendatur, si paupertas nimis hominem premat. cf. Proll. τῆς φιλοσοφίας Πορφυρίου, schol. in Arist. 7[b], 26 sqq., id. in anecd. Graec. Paris. ed. Cramer IV p. 404, 30: ,οὐ μόνον ὁ Κλεόμβροτος ἀλλὰ καὶ Στωϊκοὶ φιλόσοφοι, οἷον Κλεόμβροτοί τινες ὄντες, τὴν φιλοσοφίαν ὑπέλαβον μελέτην εἶναι τοῦ φυσικοῦ θανάτου· διὸ καὶ πέντε τρόπους εὐλόγου ἐξαγωγῆς ἔγραψαν. Quinque igitur causas mortis voluntariae probabant Stoici, ex quibus una erat πενία cf. schol. l. l. 8[a], 11: ἢ διὰ πενίαν· καὶ καλῶς φησιν ὁ Θέογνις

.χρὴ πενίην φεύγοντα κτλ.

Iidem igitur versus a Stoicis hic laudantur, quos a Chrysippo vituperatos esse, Plutarchus[19] testatur.

Ceterum vero Plutarchum sive ipsum sive auctorem eius — in ethicis scriptis eum saepius pendere a Bione, demonstraverunt Usener, Epicur. p. LXX praef., R. Heinze, Rh. Mus. 45 p. 507 sqq., O. Hense, Rh. Mus. 45 p. 541 sqq. — non nimis Theognidi favere, elucet ex his verbis, de aud. poet. 2: ,Γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶν κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς, ὥσπερ ὄχημα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.

Tum sententia vv. 215 sqq. vituperatur in libro de amic. mult. cap. IX: ,Τίς οὖν ἐστιν οὕτως ἐπίπονος καὶ μετάβολος καὶ παντοδαπὸς ἄνθρωπος, ὥστε πολλοῖς ἑαυτὸν ἐξομοιοῦν καὶ προσαρμόττειν, καὶ μὴ καταγελᾶν τοῦ Θεόγνιδος παραινοῦντος·‘

Πουλύποδος νόον ἴσχε πολύφρονος, ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇπερ ὁμιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη[20].‘

---

adn. 19. Sed dubito, num recte Plut. eis hoc obiecerit. Hoc peccat Plut., quod omnes Stoicos comprehendit suo iudicio neque discernit inter antiquam, mediam, novam scholam Stoicam, quae, quamquam principia doctrinae eadem erant, tamen singulis in rebus valde inter se differebant. Nam posteriores praecipue notum est multa ex aliorum doctrinis in suam recepisse. Tamen etiam voluntariam mortem ita defendere poterant, ut dicerent, vitam non minus quam omnia alia praeter virtutem adnumerandam esse adiaphoris.

Praeterea Plut. hoc peccat, quod eorum sententias soluto sententiarum nexu profert et componit. Certe a Chrysippo l. l. § 14 utraque sententia prorsus diverso sensu prolata erat. Hac ratione non erat difficile repugnantias, quas non paucas fuisse in Stoica doctrina certum est, etiam magno numero augere. cf. Schmekel, Gesch. d. mittl. Stoa, p. 363, 4 et 364.

adn. 20. cf. eorundem versuum vituperationem ap. Basil. l. l. cap. 9 fin., quem Cynicorum vestigia pressisse supra vidimus. Ceterum etiam Plutarchi mutatio verbi

Eadem acerbitate de Theognide iudicat Lucianus, cf. de merc. cond. 5. De iisdem vv. 173 sqq. agitur: ‚καὶ ἀποχρῆν αὐτοῖς νομίζουσιν, εἰ λέγοιεν ὡς ξυγγνώμης ἄξιον ποιοῦσι τὸ χαλεπώτατον τῶν ἐν τῷ βίῳ τὴν πενίαν διαφυγεῖν ζητοῦντες· εἶτα ὁ Θέογνις πρόχειρος καὶ πολὺ τὸ ‚πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος‘ καὶ ὅσα ἄλλα δείματα ὑπὲρ τῆς πενίας οἱ ἀγεννέστατοι τῶν ποιητῶν ἐξενηνόχασιν — idem verbum ἀγεννής etiam a Plut. de Theogn. usurpatur cf. de aud. poet. 2 — et in eadem fere sententiarum cohaerentia in Apolog. 10: ‚Τὸ μὲν γὰρ Θεόγνιδος, κἂν μὴ λέγω, τίς οὐκ οἶδεν, οὐκ ἀπαξιοῦντος καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον σφᾶς αὐτοὺς ῥιπτεῖν καὶ κατὰ κρημνῶν γε ἠλιβάτων, εἰ μέλλοι τις οὕτως ἀποδράσεσθαι τὴν πενίαν; 177 sq.

Quae si comparas cum Bionis dicto ap. Plut. de poet. aud. c. 4 de iisdem versibus, Cynicum fontem apud Lucianum statim adgnosces, quod etiam confirmatur eis, quae huic loco Lucianeo antecedunt eumque sequuntur [21].

Posteriores Stoicos et antiquos Cynicos affines inter se fuisse, notum est. Hoc Musonii quoque testatur locus, qui invenitur apud Stob. flor. 56, 18 (II p. 336 sqq. Mein.).

πολύπλοκος in πολύφρονος optime quadrat ad Cynicum Stoicumque morem. Neque enim verebantur versum verbaque mutare, ubi sensus et sententiarum cohaerentia postulabant. cf. et. eiusdem versus alias mutationes apud eundem Plut. de solert. anim. c. 27 et quaest. natur. c. 19. Parodias has mutationes nominare licebit. Hunc morem — μεταγράφειν Plut. cum nominat — Stoicos et Cynicos praecipue exercuisse, multa sunt exempla. cf. e. g. Plut., de aud. poet. XII—XIII, ubi varia afferuntur exempla Zenonis, Chrysippi, Cleanthis, Antisthenis.

Eosdem versus in proverbium abiisse, supra commemoravimus et notissimos fuisse, testantur Julian. misopog. II p. 451, 4 (Hertl.) et parodia ap. Philostr. vit. soph. I, 5.

adn. 21. Quam saepe hoc de paupertate et divitiis argumentum inde a sophistarum temporibus tractatum fuerit, optime testantur libri 90—97 Stob. flor.

Tituli horum librorum et exempla allata demonstrant primordia horum capitum repetenda esse a philosophis Stoicis. Memorabile autem permultos Euripideos versus citari, quem valde acceptum fuisse Cynicis Stoicisque, notum est. Saepius etiam id observari potest apud Stob. versus geminos mutatos esse atque ita quidem, ut hac mutatione titulorum argumento adaptentur. Non primum Stobaeum hoc fecisse, sed Stoicam rationem hoc resipere, persuasum habeo. Itaque recte dicit Diels, Rh. Mus. 30, p. 180, 2: ‚Auch Stob. selbst resp. seine Quellen passt den Text seinen Capiteln an.‘ cf. et O. Bernhardt, Rh. Mus. XVII, 465 sqq. Hense, Act. Phil. Ritschl. II, 1 sqq. Librorum 86—97 auctores Stoicos fuisse Stobaei, tituli probare mihi videntur. Ita enim ordinati sunt hi libri, ut primum collecti afferantur loci, qui affirmant sententiam praemissam, tum sequantur loci, qui impugnant. Eadem igitur est ratio quam adhibitam vidimus in Teletis aliorumque diatribis.

Hic locus etiam propter id dignus est qui adferatur, quod versus 33/34 a Musonio in eadem fere sententiarum cohaerentia citantur quam supra vidimus.

Laudatur hoc loco a Musonio prae vita urbana vita rustica, quippe quae maxime faveat studiis philosophicis. Nihil, dicit, obstare philosophiae vitam rusticam ‚πολλῶν μὲν γὰρ λόγων οὐ δεῖ τοῖς φιλοσοφήσουσι καλῶς, οὐδὲ τὸν ὄχλον τούτων τῶν θεωρημάτων ἀναληπτέον πάντως τοῖς νέοις, ἐφ' ᾧ φυσωμένους τοὺς σοφιστὰς ὁρῶμεν.' Eadem iam docuerat Antisthenes, cf. Diog. L. VI, 11: ‚τήν τ' ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι, μήτε λόγων πλείστων δεομένην μήτε μαθημάτων.' cf. et. ibid. 27 et 73. Tum pergit Musonius in virtute comparanda summum et primum locum obtinere consuetudinem et exercitationem, idem rursus, quod Antisthenes docuerat, et hic quoque eosdem citat versus Theognideos, quos apud antiquos Socratis discipulos eadem in quaestione citatos invenimus: ‚καὶ ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν καὶ καθεύδειν ἐφορώμενον ὑπ' ἀνδρὸς ἀγαθοῦ μέγα ὄφελος. ἃ δὲ γένοιτ' ἂν ἐξ ἀνάγκης ἐν τῇ συνουσίᾳ τῇ κατ' ἀγρόν, ταῦτα εἶπεν καὶ Θέογνις, ἐν οἷς φησι·

‚καὶ μετὰ τῶν σύγε πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις.'

ὅτι γε μὴν οὐκ ἄλλους τινὰς ἢ τοὺς ἀγαθοὺς λέγει μεγάλην ἔχειν δύναμιν πρὸς ἀνθρώπων ὠφέλειαν, εἰ συνεσθίοι καὶ συμπίνοι τις αὐτοῖς καὶ συγκαθέζοιτο, δεδήλωκεν·

‚ἐσθλῶν γὰρ μὲν ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι' κτλ.

Musonium igitur qui prorsus sequatur Antisthenicam virtutis doctrinam etiam in eo, quod hac in quaestione versus 33 sqq. affert, Antisthenis vestigia premere statuendum est. Etiam hoc rursus confirmatur coniectura, quam supra protulimus, Antisthenem hos versus Theognideos in suum usum adhibuisse in hac de virtute comparanda quaestione.

Hic adiungamus Dionis Chrysostomi iudicium de poesi Theognidea, quippe qui multis locis expresserit doctrinam Cynicam et Stoicam.

Tota Theognidis poesis his verbis describitur in orat. II p. 20, 11 (Dind.): τὰ μὲν οὖν ἄλλα ποιήματα ἔγωγε ἡγοῦμαι τὰ μὲν συμποτικὰ αὐτῶν, τὰ δὲ ἐρωτικὰ τὰ δὲ ἐγκώμια ἀθλητῶν τε καὶ

ἵππων νικώντων, τὰ δ'ἐπὶ τοῖς θνητοῖς θρήνοις κτλ.... ἴσως δέ τινα αὐτῶν καὶ δημοτικὰ λέγοιτ' ἄν, συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις, καθ' ἅπερ οἶμαι τὰ Φωκυλίδεω καὶ Θεόγνιδος, ἀφ' ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος.

Loquitur haec Alexander Magnus, et Homerum, pergit, solum esse, unde discere possit ἀνὴρ βασιλικός.

Simillima ratione commemoratur poesis Theognidea apud Isocratem ad Nicocl. 43, neque dubito, quin Dio locum Isocrateum in mente habuerit. Accedit quod utroque loco agitur de regio viro. Sed diverso modo Theognidea poesis iudicatur. Ut iam supra vidimus, Isocrates poesin Theognideam Nicocli tyranno commendat, quippe qui solus pretium huius poeseos recte aestimare possit. Apud Dionem contrarium fit, tyrannus repudiat Theognidem eumque potius τοῖς πολλοῖς commendat. Itaque Dionis locus pugnat quodam modo contra Isocratem et defendit eam sententiam, quam Antisthenis fuisse supra coniecimus. Quod confirmatur alio quoque loco Dionis. In orat. XXXVI Dio apud τοὺς πολλούς (i. e. Borystenitas) laudat poesin Phocylidis, Theognideae simillimam — semper fere haec una cum illa nominari solet apud antiquos scriptores, si plures gnomici poetae enumerantur — neque minoris, interdum etiam pluris illam aestimandam esse contendit Homerica poesi. cf. II pag. 52, 9 sqq. (Dind.): ἢ οὐ δοκεῖ σοι εἰκότως προσθεῖναι Φωκυλίδης τῇ τοιαύτῃ γνώμῃ καὶ ἀποφάσει·

,καὶ τόδε Φωκυλίδου· πόλις ἐν σκοπέλῳ κατὰ κόσμον
οἰκεῦσα σμικρὴ κρέσσων Νίνου ἀφραινούσης.' (frg. 5 B).

ἀλλ' οὐ πρὸς ὅλην Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ταῦτα ἔπη ἐστὶ τοῖς μὴ παρέργως ἀκροωμένοις;...... ταῦτα (scil. Homericorum heroum facta) μᾶλλον ὠφελεῖ ὑμᾶς ἐκμανθάνοντας ἢ ἐκεῖνο; (scil. Phocyl.).

Theognidea igitur poesis apud eundem Dionem altera in oratione primum obtinet locum, ubi agitur de plebe, in altera postponitur Homericae, ubi agitur de rege[22].

---

adn. 22. Isocratis verba in mente habuisse etiam Iulianum pro certo affirmaverim in orat. contra Christ. p. 203, 6 (Neum.): ,ὁ σοφώτατος Σολομῶν παρόμοιός ἐστι τῷ παρ' Ἕλλησι Φωκυλίδῃ ἢ Θεόγνιδι ἢ Ἰσοκράτει. πόθεν; εἰ γοῦν παραβάλοις τὰς Ἰσοκράτους παραινέσεις ἐκείνου παροιμίαις, εὕροις ἄν, εὖ οἶδα, τὸν τοῦ Θεοδώρου κρείττονα τοῦ σοφωτάτου βασιλέως.'

Iulianum contra Eusebium pugnare, qui laudavit Salomonis sapientiam in

Etiam in morali interpretatione εὐγενείας, qua in quaestione versus 183 sqq. Theogn. allatos esse supra vidimus, Stoici Cynicos secuti sunt. cf. Diogenis Babylonii libr. περὶ εὐγενείας ap. Athen. IV, 168^c et eiusdem tituli libr. Athenodori Tarsitae ap. Cic. ad fam. 3, 7 commemoratum. Ut vero εὐγενείας notio a politica et sociali vita ad moralem transferebatur, sic etiam notiones ἐλευθερίας et δουλείας. Qua in re Philon Stoicos secutus est. cf. libr. περὶ εὐγενείας, cuius in initio Aristotelis impugnat de nobilitate doctrinam in dial. περὶ εὐγεν. tractatam, tum cf. libr. περὶ τοῦ πάντα σπουδ. εἶναι ἐλεύθερον II, 469 (M.), ubi citantur v. 535 sq. Theogn. ‚Οὕτως οἱ σοφοὶ βασιλικώτερον οὐδὲν ἀρετῆς νομίζοντες, ἣ τοῦ βίου παντὸς αὐτοῖς ταξιαρχεῖ, τὰς τῶν ἄλλων ἡγεμονίας ὡς ὑπηκόων οὐ δεδίασι. παρ' ὃ τοὺς διχόνους καὶ δολεροὺς ἅπασιν ὀνομάζειν ἔθος ἀνελευθέρους τε καὶ δουλοπρεπεῖς. Ὅθεν καὶ ἐκεῖνα εὖ πεφώνηται·

‚Οὔποτε δουλείη κεφαλὴ εὐθεῖα πέφυκεν,
ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ κ'αὐχένα λοξὸν ἔχει.'

Vides prorsus in moralem sensum a Philone haec explicari, quod alienum erat a poeta[23].

---

praep. ev. XI, 5, 8 (II p. 8 Dind.) demonstratur Cyrilli archiepiscopi verbis contra Iulianum (cf. lib. VII, 225^a, 4 (Spanh.) et 225^b, 2, ubi Salomo defenditur contra Homerum, Phocylidem, Theognidem. Similia verba profert contra moralem horum auctorum poesin eis, quibus Ariston Chius impugnavit moralem in universum philosophiae partem (cf. Sext. Emp. VII, 12 adv. math.).

Habemus hic veterem pugnam ortam eam initio secundi a. Chr. saec. Alexandriae a Iudaicis Peripateticis, qui demonstrare studebant, veteres philosophos Graecos sapientiam suam repetiisse ab Iudaeis. cf. Valkenaer, diatr. de Aristot. Iud. Zeller, Phil. d. Gr. V p. 258 sq. Quam pugnam Christiani sine ullo iudicio recipiebant ita ut in paganos retorquerent. cf. praec. Euseb. et Clem. Alex., ubi agunt περὶ κλοπῆς (cf. Dind. praef. ad Clem. edit. p. 25).

adn. 23. Quibus transmutatis in notionibus Cynicis et Stoicis rursus praeiverant sophistae. Hoc nobis testatur dictum quoddam Alcidamantis, sophistarum discipuli, quod traditur a schol. ad Arist. rhet. 1373^b, 6: ‚ὑπὲρ Μεσσηνίων ἀποστησάντων Λακεδαιμονίων καὶ μὴ πειθομένων δουλεύειν μελετᾷ καὶ λέγει Ἀλκιδάμας· ‚ἐλευθέρους ἀφῆκε πάντας θεός, οὐδένα δοῦλον ἡ φύσις πεποίηκεν.' (Sauppe II. p. 154.)

Idem etiam Euripidis testantur tragoediae cf. Ion. v. 854 sqq.

ἓν γάρ τι τοῖς δούλοισιν αἰσχύνην φέρει,
τοὔνομα· τὰ δ'ἄλλα πάντα τῶν ἐλευθέρων
οὐδὲν κακίων δοῦλος, ὅστις ἐσθλὸς ᾖ.

cf. et. frg. 57 (N.), frg. 511, Hec. 864, quibuscum cf. Xen. Mem. IV, 5 et alia exempla ap. Stob. II, 62 (Mein.) in libro, qui inscribitur ‚περὶ δεσποτῶν καὶ δούλων.'

Transimus ad reliquos philosophos, qui mentionem faciunt versuum Theognideorum.

Pauca supersunt. Ab Epicuro v. 427 vituperatur in epist. III (Usen. p. 61, 17): Ὁ δὲ παραγγέλλων τὸν μὲν νέον καλῶς ζῆν, τὸν δὲ γέροντα καλῶς καταστρέφειν εὐήθης ἐστὶν οὐ μόνον διὰ τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστόν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ τὴν αὐτὴν εἶναι μελέτην τοῦ καλῶς ζῆν καὶ τοῦ καλῶς ἀποθνήσκειν. πολὺ δὲ χεῖρον καὶ ὁ λέγων καλὸν μὲν μὴ φῦναι,

‚φύντα δ᾽ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι‘

εἰ μὲν γὰρ πεποιθὼς τοῦτό φησι, πῶς οὐκ ἀπέρχεται τοῦ ζῆν; ἐν ἑτοίμῳ γὰρ αὐτῷ τοῦτ᾽ ἐστίν, εἴπερ ἦν βεβουλευμένον αὐτῷ βεβαίως κτλ.

cf. et. eosdem versus eodem sensu citatos apud Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. III, 230 (p. 175 Bekk.).

Hos versus persaepe usurpatos fuisse, cum mors quaereretur

---

cf. praeterea Antisth. περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας, unde nescio an pendeat Xen. Mem. IV, 5. Eandem rem tractavit Crates cf. frgt. 9 (B) et frg. 16.

Epictet. Diatr. III, 24, 67 : ‚Διὰ τοῦτο ἔλεγεν (scil. Diogenes Cyn.) ὅτι ‚Ἐξ οὗ μ᾽ Ἀντισθένης ἠλευθέρωσεν, οὐκέτι ἐδούλευσα‘.

cf. eiusdem Diogenis dicta in Philonis libro supra laudato (cf. Hense, Bion bei Philon, Rh. Mus. 47 p. 230).

Demonactis Cynici dictum ap. Lucian. Demon. 37, 20 et Menippi dicta ap. Luc. dial. mort. II, 1.

Scripsit Cleanthes stoicus περὶ ἐλευθερίας cf. Diog. L. VII, 175 et cf. Ciceronis parad. V ‚ὅτι μόνος ἐλεύθερος ὁ σοφός, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.‘

Horatius saepe idem tractat argumentum et cavillans Stoicorum immoderatum huius sententiae paradoxae usum cf. sat. II, 3 et laudans veritatem sententiae sat. II, 7 (cf. Kiessl. Hor. sat. p. 217), epist. I, 10, 25—43, epist. I, 16, 63 sqq.

Epictetus idem tractat diatr. IV, 1 (περὶ ἐλευθερίας) et saepius in diatribis, cuius sapientiam rursus laudat Epicteti aemulus quidam in inscriptione Pisidiae cf. Kaibel, Herm. 23, p. 542—544.

Uberius agit de hac quaestione Dio Chrys. in orat. XIV et XV, qui etiam de mutata horum vocabulorum notione agit et prorsus doctrinam Cynicam-Stoicam secutus hanc mutationem ita explicat, ut contendat initio ἐλευθερίαν et δουλείαν moralem habuisse significationem et hanc solam veram esse, postea autem hominum inanitate ad politicam notionem vocabula translata esse. Idem iudicat de vocabulis εὐγενείας et ἀγενείας.

Cum Dione congruit Iuvenalis, cf. sat. VIII, 56 sqq. cum fine orat. XV Dionis.

Eadem doctrina etiam posterioribus temporibus traditur. Sic Alcidamantis dictum reperis in Μενάνδρου καὶ Φιλιστίωνος διάλεκτος (W. Meyer, Abh. d. bair. Akad. 1891 p. 279).

v. 101/102: ‚Ἐλευθέρους ἅπαντας ἡ φύσις ποιεῖ,
δούλους δὲ μετεποίησε ἡ πλεονεξία.‘

utrum malum esset necne, multa supersunt testimonia, quorum antiquissimum invenitur in certamine Homeri et Hesiodi (cf. F. Nietzsche, Mus. Rhen. XXV, p. 528 sqq., XXVIII p. 211 et Kirchhoff, Berl. Sitzsber. 1892; tum E. Meyer, Herm. XXVII p. 377 sq.).

Certamen exorditur a quaestionibus, quales antiqui agitare solebant in conviviis (cf. Plut. conv. sept. sap.). Hesiodo enim quaerenti ,τί φέρτατον;' Homerus respondet duobus hexametris Theognideis vv. 425 et 427[24].

Porro interroganti, quid sit ἄριστον, Homerus respondet versibus Odysseae IX, 6 sqq. Hos versus a Graecis ,aureos versus' nominatos memorat Alcidamas, sua etiam aetate cantatos esse ἐν ταῖς κοιναῖς θυσίαις πρὸ τῶν δείπνων καὶ σπονδῶν.

Vv. 425 sqq. iam a sophistis adhibitos esse in scriptis vel orationibus quae ,consolationes' nominantur, ex Euripide rursus concludi licet, qui saepius hac sententia utitur. cf. frg. 285 N. frg. 908 et al. ap. Nauck, praef. ad alt. ed. Eur. (1856) I p. 31, 56. cf. et. Buresch, Consolationum hist. crit., Leipz. Stud. IX, 1 sqq.

Haec sunt, quae de auctoritate Theognidis apud antiquos proferenda habui. Quam maximam fuisse apud philosophos ac maxime quidem in morali parte philosophiae demonstratum est, fundamentum autem huius auctoritatis iecisse Antisthenem in protreptico, ut videtur, libro ,περὶ Θεόγνιδος'. Rationem autem poetae interpretandi illi a sophistis traditam esse, qui, ut in aliorum poetarum, sic etiam in Theognidis interpretatione versati esse videntur. Hinc etiam cognoscitur, moralem partem poeseos Theognideae posterioribus temporibus solam in censum venisse, politicam plane evanuisse[25].

---

adn. 24. De notitia horum versuum apud antiquos et posteriores cf. Bergk, PLG. II⁴ p. 155. Ad auctores hic citatos etiam adiungi potest Anth. Pal. IX, 359; epigr. gr. n. 647; Senec. epit. in Riesii Anthol. L. 667.

adn. 25. Non ignoramus nonnullos alios scriptores omissos esse, apud quos citantur versus Theognidis. Sed alii in nostra quaestione nullius sunt pretii, alii etiam postea suo quisque loco tractabuntur. Quos qui cognoscere velint, eos ad dissertationem O. Cruegeri remitto quae inscribitur ,De locorum Theognideorum apud veteres scriptores exstantium ad textum poetae emendandum pretio'. Regim. 1882. (cf. indicem).

PARS II.

De compositione collectionis Theognideae.

Eam carminum collectionem, quae sub Theognidis nomine codicibus nobis tradita est, florilegii speciem praebere nemo est quin videat.

Antiquissimi florilegii reliquiae nuper apud Aegyptios repertae sunt in charta papyracea (Fl. Petr. pap. tab. III), qua re edocti sumus, florilegia iam tertio a. Chr. saeculo exstitisse (cf. et. Diels, Rh. Mus. 30 l. l., Wilamow. Heracl. I p. 171, Kaib. in Herm. XXVIII p. 65), quae iam tum ita erant ordinata ut ex variis poetis ii versus excerperentur et componerentur, qui eandem vel similem sententiam exhiberent pariter atque invenitur in locupletissimo, quod nobis restat, Stobaei florilegio.

Quae sit ratio nostrae collectionis, adhuc sub iudice lis est. Variae opiniones a viris doctis de hac re prolatae sunt, ut iam supra in prooemio commemoravimus.

Ego cum eidem quaestioni operam dabam, edita est dissertatio Schaeferi inscripta ‚de iteratis apud Theognidem distichis', qua cum putarem hanc rem difficillimam retractatam esse, spes me fefellit. Schaeferus enim nihil nisi verba poetae scrutatur ac recte consentit cum iis, qui maximam partem discrepantiarum ab arbitrio eius, repetendam esse censuerunt, qui iteravit versus. (cf. et. F. Cauer, Stud. z. Theogn. Phil. 50, p. 529 sqq.)

Collectionem, quae codicibus nobis tradita est, ex compluribus syllogis conglutinatam esse, iam diu viri docti ex copia versuum repetitorum coniecerunt. (cf. materiem coll. ap. H. Schneidewin, de syll. Theogn. p. 6 sq.)

Iam in cod. Mut. (A) duae sunt partes distinctae, quarum altera inde a v. 1231 inscripta est ἐλεγείων β, plane diversa haec a priore indole et pretio, unde factum esse videtur, ut a reliquis codicibus haec pars omitteretur. Sed de hac parte postea.

Eam partem, quae usque ad v. 1230 pertinet, ex duabus minimum syllogis conglutinatam esse, viri docti coniecerunt, sed ubi alterius syllogae initium statuendum sit, dissentiunt.

Schneidewinus, qui postremus hanc tractavit quaestionem l.l., alterius sylloges initium quaerendum esse statuit inter v. 853 et 1038, cum versus 853 sq. repetantur post v. 1038, inter v. 853 et 1038 autem nulla fiat repetitio.

Sed variae notae nobis se afferunt, quibus commovemur, ut aliter iudicemus.

Ut hoc praecipiam, quod demonstratum iri spero, tres partes principales statuo: pars I, inde a v. 1—756, pars II, a v. 757—1231, pars III usque ad finem. Inter se similiores sunt partes II et III, diversa ab utraque est pars I.

Quae divisio confirmatur indiciis cum aliis tum ex ipsis carminibus petitis.

Atque in universum hoc maxime interest, quod pars I prorsus severa atque moralia continet praecepta, in parte II/III seria et hilaria in vicem se excipiunt. Fundamentum partis I est ethicum, pars II/III convivali usui inservit.

Quod ut recte intellegatur, non solum accurata interpretatione opus est, sed etiam attendendum, quo modo singula inter se carmina cohaereant. Utrumque adhuc nimis neglectum est.

Vidimus poesin Theognideam summa fuisse auctoritate in morali philosophiae parte ac maxime quidem adhibitam fuisse ad praeceptivam (προτρεπτικός) rationem. Quam rationem eius quidem poeseos, qua Cyrnum alloquitur, ipse poeta diversis locis clare indicat. Praec. premendi sunt v. 27[26] sq., v. 1049 sq., v. 99 sq.

Ethicam fuisse rationem primae partis praecipue eo confirmatur, quod ii versus, quos aliorum poetarum esse certis testimoniis constat, ethicam exprimunt sententiam, quo vinculo vel cum eis, quae antecedunt, vel cum eis, quae sequuntur, arte coniuncti sunt.

---

adn. 26. Similis est exhortatio Hesiodi ad Persen cf. Op. et D. v. 27. Multa inveniuntur apud Theognidem ex Hesiodi imitatione expressa quod collecta invenies apud Küllenberg ‚de imitatione Theognidea', Diss. Arg. p. 39 sqq. Hinc quoque explicatur, quod tam saepe, ut iam vidimus, Theognidea poesis una cum Hesiodea citatur. cf. Isocr. ad Nicocl. l. l., Dio Chrys. l. l., Athen. VII, 310.

Aristophanes eosdem v. 27 sq. imitatus est in Av. 1362.

Solonis sunt versus 153 sq., quos si comparaveris cum antecedentibus, optime eos ad argumentum horum versuum quadrare intelleges. Sed mutatos esse versus ab eo, qui eos in hanc collectionem recepit, demonstratur Aristot. πολιτ. Ἀϑην. cap. XII. Atque ethica ratio interpolatoris plane cognoscitur ex mutatione unius verbi. Nam cum apud Aristotelem primus versus sic traditus est:

‚Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται'

in codicibus πολύς mutatum invenitur in κακῷ. Quam mutationem novit iam Clem. Alex. cum scriberet Strom. VI, 2, 8 (p. 129 D.).

Σόλωνος δὲ ποιήσαντος

‚τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται.'

ἄντικρυς ὁ Θέογνις γράφει

‚τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.'

Unde elucet, Clementem iam novisse nostram vel certe persimilem collectionem (cf. Hiller, Jhrb. 123 p. 469, 37, Hartung, poet. eleg. Gr. I p. 92). Quod si certum est, etiam ad antiquiora tempora recedere licet, ut originem collectionis quaeramus. Nam recte Cobetus (observ. crit. in Plat. com. reliq. p. 68 sqq.) nisus Ruhnkenii coniectura (hist. crit. Orator. p. 52) et maxime Valckenarii argumentatione invicta (diatr. de Aristob. Iud. p. 9 sq., 11 sqq., 66 sqq., 71 sq.) haec ostendit, omnia (strom. VI, 737—752) ex Aristobulo sedulo excerpta esse. Aristobulus autem non ipse collegerat omnes, quos affert locos ex sua poetarum et scriptorum propria lectione, sed quae priores collegerant, eis liberius utitur. (cf. Cobet. l. l. p. 76, Dindorf. praef. ad Clem. Alex. p. 25, Bernays, Ges. Abhdlg. p. 126 sp.)

Praeter hanc mutationem etiam alia notanda est. Compilator enim, cum hos versus ex pristina cohaerentia sententiarum eripuisset, pro γὰρ substituit τοι in primo versu, ut sententiam perfectam et absolutam efficeret.

Idem de omnibus fere versibus aliunde insertis observari potest. Atque maxime quidem multus huius particulae τοι usus in collectione Theognidea offendit.

Ex Solone deinde petiti sunt vv. 227—232, quos si comparaveris cum Sol. frg. 13, 71—76, idem mutandi consilium facile agnosces.

cf. enim

Sol.	Theogn.
,κέρδεά τοι θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι·	χρήματά τοι θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη·
ἄτη δ'ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς	ἄτη δ'ἐξ αὐτῆς ἀναφαίνεται, ἣν ὁπότε Ζεὺς
πέμψῃ τισομένην, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.	πέμψῃ τειρομένοις ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Consulto haec mutata esse apparet. Ethicam enim notionem ἀφροσύνης intulit, de qua agitur in versibus antecedentibus (cf. v. 223: κεῖνός γ'ἄφρων ἐστί) et sequentibus (cf. 233: κενεόφρονι δήμῳ). τειρομένοις mendum librarii esse videtur pro ,τεισομένην'. Ceteri versus Solonei (315—18 = frg. 15, 585—590 = frg. 13, 65—70, 719—728 = frg. 24) praeter particulae γάρ in τοι non magnas exhibent mutationes. Omnes autem optime cohaerent cum vicinis sententiis.

De reliquis versibus, quos certo aliis poetis vindicare possumus, postea agemus, cum omnes in secunda, quam statuimus, parte collectionis inveniantur.

Genuinos quoque versus Theognideos etiam in hac parte interdum mutatos esse ad collectionis consilium, colligi potest et ex mutatione versuum repetitorum in altera parte et ex Stobaei florilegio, ubi saepe mutati versus diversorum capitum titulis adaptati inveniuntur. (cf. Diels, Rh. M. 30 l. l.)

Ubique vero in prima collectionis Theognideae parte eandem rationem ethicam exstare vides. Ita ordinata sunt carmina, ut compluria semper sententiarum quadam similitudine tanquam vinculo contineantur.

Saepe autem, id quod facile agnosces, carmina vicina non eadem sententia distincta, sed contraria ita ut alterum alterum impugnare videatur.

Idem inveniri apud Stobaeum supra vidimus (cf. Stob. Mein. III, 86 sqq.), nisi quod illic capita ita ordinata sunt, ut primum collecta sint eiusdem sententiae testimonia, deinde contrariae.

Hanc rationem, qua componerentur versus, eiusdem vel similis argumenti, iam V. a. Chr. saec. usurpatam fuisse, testatur locus quidam apud Clementem Alexandrinum, quem a viris

doctis in quaestione florilegiorum adhuc nimis neglectum esse, valde miror. Eo gravius esse mihi videtur, quod citatur eo loco, quo auctorem Clementis collectiones quasdam ante oculos habuisse negari nequit. Haec sunt Clementis verba (Strom. VI, 2, 15): ,Ἀλλ' ἵνα μὴ ἐπὶ πλέον προΐῃ ὁ λόγος φιλοτιμουμένων ἡμῶν τὸ εὐεπίφορον εἰς κλοπὴν τῶν Ἑλλήνων κατὰ τοὺς λόγους τε καὶ τὰ δόγματα ἐπιδεικνύναι, φέρε ἄντικρυς μαρτυροῦντα ἡμῖν Ἱππίαν τὸν σοφιστὴν τὸν Ἠλεῖον, ὃς τὸν αὐτὸν περὶ τοῦ προκειμένου μοι σκέμματος ἥκειν (sic codd. Kaibelii quam proposuit, coniectura ἐκίνει mihi certa videtur, cf. Plat. Rep. 450[a], Theaet. 163[a]) λόγον, παραστησώμεθα ὧδέ πως λέγοντα· ,τούτων ἴσως εἴρηται τὰ μὲν Ὀρφεῖ, τὰ δὲ Μουσαίῳ κατὰ βραχὺ ἄλλῳ ἀλλαχοῦ, τὰ δὲ Ἡσιόδῳ, τὰ δὲ Ὁμήρῳ, τὰ δὲ τοῖς ἄλλοις τῶν ποιητῶν, τὰ δὲ συγγραφαῖς τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροις· ἐγὼ δὲ ἐκ τούτων πάντων τὰ μέγιστα καὶ ὁμόφυλα συνθεὶς τοῦτον καινὸν καὶ πολυειδῆ τὸν λόγον ποιήσομαι.'

Nonne hinc origo florilegii quaerenda est, ut verba ,ὁμόφυλα συνθείς' demonstrant? Nam ipse novam hanc rationem nominat Hippias sophista.

Cuius scripti Hippiae haec verba sint, certo diiudicari nequit. Sed ex citatis poetis conici licet, haec verba fuisse in initio orationis cuiusdam epideicticae et paraeneticae, qualis a Platone commemoratur de Hippia in Hipp. mai. 286. Nam praecepta moralia hanc orationem exhibuisse, elucet ex Platonis verbis l. s. λέγει ὁ λόγος, ὅτι Νεοπτόλεμος Νέστορα ἔροιτο ποῖά ἐστι καλὰ ἐπιτηδεύματα, ἃ ἄν τις ἐπιτηδεύσας νέος ὢν εὐδοκιμώτατος γένοιτο.

Clementis verba si ex scripto Hippiae apud Platonem commemorato descripta sunt, pertinent ad Τρωϊκὸν διάλογον, ut Philostratus hoc scriptum nominat (cf. vit. soph. I, 11, 1).

Idem igitur demonstratur iam V. saeculi fieri potuisse, ut collectio quaedam similis Theognideae quam nos habemus exstaret.

E posterioribus, quos quidem noverimus, studiosissime sententias collegit et excerpsit Chrysippus. (cf. Galen. l. s.) Chrysippum etiam ethicis in quaestionibus similes variorum poetarum locos comparasse, testatur schol. ad Pind. Isthm. I, 56: Ὁ πονήσας δὲ νόῳ] ὁ Χρύσιππος ἐμφαίνειν φησίν, ὡς καὶ πρότερον μὲν συνετῶς ἐγχωρήσαντα, ὡς μὴ κινδυνεύσῃ, καὶ κατὰ τὴν κάθοδον ἠσφαλισμένον

τὰ καθ' ἑαυτόν· τοῦτο οὖν φησιν· ‚ὁ παθὼν καὶ τῷ νῷ προμαθὴς γίνεται. Ἀλκμάν· ‚Πεῖρά τοι μαθήσιος ἀρχά.' καὶ Ὅμηρος· ‚Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.'

Sine dubio posteriores florilegiorum auctores ea excerpserunt, quae in Stoicorum libris copiose collecta invenerunt.

Itaque omnia nobis persuadent non necesse esse, ut primam partem collectionis Theognideae posterioribus temporibus vindicemus, ut voluit Nietzschius Rhen. Mus. l. l. Immo vv. 153 sq. quos supra tractavimus, cum iam Aristobuli aetate vel iam ante eius aetatem ita lecti sint in collectione quadam Theognidea, ut codicibus nobis traditi sunt, etiam partem I collectionis antiquioribus temporibus ortam esse ostendunt.

Certius tempus indicari nequit.

Transimus nunc ad explicandas sententias principales singulorum carminum, quo confirmabuntur quae contendimus de huius partis compositione.

Compilator ita rem instituit, ut ordiretur a deorum allocutione, quos versus Theognidis esse, Aristoteles testatur, cf. Eth. Eudem. VII, cap. 10: ἐνδέχεται δ'εἶναι ὥσπερ λέγει Θέογνις·

‚σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα' (v. 14).

Procul dubio etiam Theognis ipse antiquum morem deos alloquendi secutus est.

Quo facto poeta se ipse nominat, ut eum cognoscamus. Quos versus (19 sqq.) in initio collectionis etiam a Theognide in initio suae poeseos positos fuisse, mihi persuasum est.

Collectori autem eos aptissimos fuisse patet, quos in initio relinqueret ad indicandum auctorem. Similis est ratio ei, quae etiam apud alios veteres poetas et scriptores valebat, velut ‚καὶ τόδε Φωκυλίδεω vel Δημοδόκου, μνῆμα τόδε Ἱππάρχου, Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται' κτλ.

Eundem morem secutus Theognis nomen suum praeposuit ei fortasse carmini, quod praecepta ad Cyrnum continebat.

Tum statim ad ethica argumenta pergitur. Deinceps demonstrabimus, quomodo versus comprehendendos esse censeamus, et addemus singulis particulis titulos, quos aptos existimamus.

Saepe nobis subvenient ii tituli, qui apud Stobaeum singulis capitibus praepositi inveniuntur.

v. 27—38: ὅτι ὁμιλία ἀγαθῶν ἄσκησίς ἐστιν ἀρετῆς.
39—60: ὅτι κακοὶ ἀπόλλυσι πόλεις, οὐκ ἀγαθοί.
61—128: περὶ πίστεως καὶ φιλίας.

Apparet hos versus inter se cohaerere, quod attinet ad sententiam principalem. Omnia argumenta his versibus tractata talia sunt, qualia a Stobaeo citantur in Photii bibl. p. 113ᵃ 34 (Bekker), cf. et. Mein. Stob. I pag. 24 sq. ubi de eodem argumento tituli citati omnes etiam ad Theognideae collectionis versus quadrant.

v. 129—172: περὶ τύχης καὶ θεῶν προνοίας.
(cf. Phot. bibl. 112ᵃ, 32 sqq. Mein. l. l. p. 31, 18 sqq. et 34, 9—10).

Versibus 129—130 primae tribuuntur fortunae, posthabentur virtus et divitiae, quae tamen sententia redarguitur statim sequentibus versibus, quibus laudatur δίκη (132), εὐσέβεια (145), δικαιοσύνη (147), ἀρετή (150), atque identidem εὐσέβεια, cum omnia pendeant a deis, qui simul sunt δαίμονες et fatum[27].

v. 173—210: περὶ πενίας.

v. 193—196 aut corrupti sunt cf. initium v. 193, quod hic sensum non praebet, aut e genuina sententiarum cohaerentia excepti sunt.

v. 197—208 contrarii quodam modo sunt versibus 183 sqq. quod significatur ipsa particula δὲ (v. 197).

v. 209—210 non huc, sed potius ad caput ‚περὶ φυγῆς' pertinere videntur, in quo eos revera collocatos fuisse, docent codices, nam post v. 331 sq., qui pertinent ad φυγήν, repetuntur. Eosdem versus in florilegiis sub variis titulis commemorari potuisse, Stobaei demonstratur exemplo, qui locis compluribus ac diversis eosdem saepius attulit versus. (cf. v. 183 sqq. allatos et sub tit. περὶ μνηστείας et sub tit. περὶ εὐγενείας. v. 35 sq. sub tit. περὶ φιλοπονίας et ἐκ τοῦ τίς ὁ φιλοσόφῳ προσήκων πόρος.)

---

adn. 27. Sub variis nominibus fati notio comparet, velut Ζεύς (157), δαίμων (166), θεοί (134) ac praec. cf. v. 169 sqq.

Similem controversiam tractavit Plutarchus in libro περὶ τύχης, ubi Stoicorum armis impugnatur sententia, quae in initio libri invenitur:

‚Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία.'

cui opponuntur verba: ‚Πότερον οὐδὲ δικαιοσύνη τὰ θνητῶν πράγματα, οὐδὲ ἰσότης, οὐδὲ σωφροσύνη, οὐδὲ κοσμιότης;' Tum affert exemplum Aristidis aeque ac factum est apud Teletem. Testimonium certum superest Theophrastum hanc de fortuna sententiam protulisse et propterea reprehensum esse a reliquis philosophis, cf. Cic. Tusc. V, 9, 24.

Pendet hoc ex versuum interpretatione ambigua.

Idem dicendum est de v. 211 sq., qui post v. 510 repetuntur. Nam et huc quadrant propter vocabulum ἐπισταμένως et illuc propter vini commemorationem.

v. 211—236 enim titulo περὶ φρονήσεως vel σωφροσύνης καὶ ἀφροσύνης complecti possumus.

v. 237—278: ‚τί τὸ βέλτιστον τυχεῖν ἢ τὸ κάκιστον ἀποτυχεῖν.‘ Sententia principalis est in v. 253 sq. (οὐ τυγχάνω αἰδοῦς), in v. 255 sq. cf. superlativa et verbum τυχεῖν. v. 258 cf. ἀνιηρότατον, v. 261 exprimitur spes decepta verbis οὔ μοι πίνεται οἶνος, item versibus 266—270 et v. 273 (κάκιστον).

v. 279—294: ὅτι καταφρονητέον τῶν κακῶν.

In v. 283—286 brevioribus repetitur sententia v. 61—68. Fortasse interpretatoris sunt. V. 287 sq. cum antecedentibus coniungendos esse apparet. (v. 289 sq. cf. cum v. 57 sq.)

Ante v. 293 lacuna statuenda est, atque haec sententia excidisse videtur: ‚αἰδὼς periit, ἀναίδεια victrix est, neque autem semper κακοὶ primum obtinebunt locum. Boni si ad summam desperationem adducti erunt, ad bellum consurgent: οὐδὲ λέων αἰεὶ κτλ.

v. 295—314: ‚πῶς ὁμιλητέον ἀνθρώποις ἐν πάσῃ βίου καταστάσει.‘

v. 315—336: περὶ ἀρετῆς in universum inscribere licet. Variis enim carminibus tractantur variae partes ἀρετῆς. Singula capita singulis titulis inscribere licet, velut:

v. 315—322: σύγκρισις ἀρετῆς καὶ πλούτου cf. Stob. Mein. I p. 37.

v. 323—328: Ὅτι χρὴ ταχείας ποιεῖσθαι τὰς πρὸς τοὺς φίλους διαλλαγὰς κτλ. cf. Mein. p. 35.

v. 329—336: περὶ ἡσυχίας καὶ μετριότητος, cf. Mein. p. 35 et 34.

v. 337—398: περὶ πενίας καὶ ἀνδρείας, cf. Mein. p. 36.

Inter se enim variant versus, qui querellas de paupertate et ii, qui consolationem continent et ad fortitudinem adhortationes.

Etiam hic singulis titulis inscribere licet singula carmina.

v. 337—354: ἔπαινος πλούτου καὶ ψόγος πενίας.

355—358: περὶ τόλμης vel ὅτι δεῖ γενναίως φέρειν τὰ προσπίπτοντα (Stob. 108). v. 359 sq.: ὅτι δεῖ τὰς μὲν εὐτυχίας προφαίνειν, τὰς δὲ ἀτυχίας κρύπτειν. καὶ ὀρθῶς κεχρῆσθαι τοῖς παροῦσι (Stob. 109).

Apud Stob. igitur rursus eodem modo atque in collectione Theognidea sententias oppositas deinceps inter se sequi vides.

Patet, versus 365 sq. oppositos esse versibus antecedentibus 361—364, qui coniungendi sunt, cum sententia versuum 361 sq. continuetur versibus 363 sq.

Versibus 367—370 rursus responderi videtur ad versus antecedentes, quod indicatur etiam particula ‚δέ'. Quomodo 371 sq. explicandi sint, nescio, cum appareat, eos cum proximis non cohaerere. Fortasse respondent ad v. 367—370.

Tum rursus σύγκρισις πενίας καὶ τόλμης et σωφροσύνης continuatur versibus 373—392 et 393—398 inter se oppositis[28].

v. 399—418: περὶ αἰδοῦς καὶ γνώμης, cf. Mein. p. 36, 31.

419—424: περὶ σιγῆς καὶ ἀδολεσχίας, cf. Mein. p. 36, 33 et 36. v. 425—428: ὅτι ἄριστον μὴ φῦναι.

v. 429—440: ὅτι οὐ διδακτὴ ἡ ἀρετή.

441—446 transponendi esse mihi videntur post 425—428, cum optime respondeant ad 425—428 cum consolationis quadam specie.

v. 447—452 et 453—456 rursus ita cohaerent, ut contrariam quandam contineant inter se sententiam, nam v. 447—452 exemplar boni viri, v. 453—456 contrarium tractatur.

v. 457—460 cf. Stob. flor. LXXI: ὅτι ἐν τοῖς γάμοις τὰς τῶν συναπτομένων ἡλικίας χρὴ σκοπεῖν.

v. 461—462 et 463—466 ita inter se cohaerent, ut 463—466 respondeant ad sententiam antecedentium.

v. 467—510: περὶ οἴνου χρήσεως, quod argumentum diligenter tractatum est a philosophis.

v. 511—526: ἔπαινος πενίας καὶ ψόγος πλούτου.

Sequentes versus ita transponendi sunt, ut v. 531—534 coniungantur cum 527 sq., cum ita solum optime inter se cohae-

adn. 28. Habemus hic σύγκρισιν πλούτου καὶ πενίας, qualem alia ratione, sed similibus sententiis in Aristophanis Pluto tractatam invenimus et qualem a Cynicis et Stoicis valde adamatam fuisse iam supra vidimus (cf. Teletis σύγκρ. πλ. κ. π.). Ac prorsus Cynicas sententias in Aristophanis comoedia tractatas invenies cf. praec. v. 568 sqq. ubi laboris (πόνου) laus profertur, ad quem πενία adstimulet, ita ut Antisthenes tum etiam apud Aristophanem ad aliquam pervenisse auctoritatem videatur, cum Aristophanes hanc comoediam retractaret. Nam a. 388 a. Chr. Antisthenes iam satis notus fuit. Etiam adversarii Cynicorum hoc argumentum petierunt, cf. Crantorem ap. Sext. Emp. (p. 556 sq. B.) de quo cf. Wilam. Phil. Unt. III p. 293 et E. Weber, Leipz. Stud. X, p. 166 contra Wilam.

reant. v. 529 sq. et 535—538 coniungendos esse, iam indicatur notione δουλείας, quae et in v. 530 et in v. 535 invenitur.

v. 539—558 pertinent ad res publicas et privatas poetae. Theognidis esse versus, nominibus Κύρνε et Πολυπαΐδη indicatur, sed cur hic afferantur, difficile est dictu. Videtur propter notionem δικαιοσύνης (cf. v. 543, 547) et ἀνδρείας (v. 551—556). Plerique excepti sunt e genuina cohaerentia sententiarum.

v. 559—562: ὅτι μέτρον ἄριστον vel περὶ ἐγκρατείας.

v. 563—566: ὅτι χρὴ περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι τὰς τῶν σοφῶν συνουσίας. cf. Mein p. 34.

567—570: Opponuntur quodammodo versibus antecedentibus, nam cum antecedentibus serio moneatur, ut sapientia ne in epulis quidem neglegatur, his versibus iocose laetitia in epulis commendatur.

571—72: περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι, cf. Mein. p. 34.

573—74: περὶ τοῦ εὐεργετεῖν.

575—78: ad privatas res pertinent.

579—82: περὶ μαργοσύνης.

583—90: περὶ προνοίας.

591—94 rursus oppositi sunt antecedentibus, cum τόλμην laudent.

595—602 ad res privatas pertinent. Poeta de fraudulento amici animo queritur. Sequuntur

v. 603—610, qui magis in universum idem argumentum ὕβρεως tractant.

v. 611—618: περὶ λοιδορίας, ὡς οὐκ ἀγαθόν (cf. Mein. p. 34).

619—624: σύγκρισις πενίας καὶ ἀνδρείας rursus tractatur.

625—636: περὶ γνώμης καὶ ἀφροσύνης.

637—640: περὶ ἐλπίδος καί τῶν παρ' ἐλπίδα.

Inde a v. 641—756 tot sententiae e prioribus repetitae inveniuntur aliis verbis expressae, ut pleraque a diasceuasta vel ipso facta vel aliunde excerpta esse, statuendum sit. Quod vel eo probari mihi videtur, quod Cyrni nomen non nisi bis his in versibus occurrit (v. 654 et 655).

Confer enim sententiam v. 641 sq. cum 125 sq., 643 sq., cum 115 sq., 645 sq. cum 79—80, 647—48 cum 291 sq., 649—652 cum 351 sq. et 389 sq., 653 sq. cum 129 sq.

657 sq. persaepe similiter expressos invenimus in collectione Theognidea.

659—666 cf. cum 133—142 et 585—590.

667—682 ad politicas res pertinent. Simonidem quendam alloquitur auctor. Sententia politica quae exprimitur et his versibus et v. 683—686 optime quadrat ad id, quod Theognis de re publica Megarensium sentit. Plebis enim imperium, ochlocratia, repudiatur. Num vero Theognidis ipsius sint hi versus, diiudicari nequit.

Inde a v. 660 usque ad v. 755 carmina ita cohaerent inter se, ut πλοῦτος et πενία sit sententia principalis, quae vario modo tractatur[29].

Versuum 731—752 sententia similis est sententiae versuum 373—392 (desperat enim poeta de deorum iustitia) ac simili modo atque illic versibus 393—396, hic refutatur illa sententia versibus 753—756 et iis, qui ante hos versus interciderunt. Nam lacuna hic statuenda est, cum nihil exstet, ad quod pertineant verba ‚ταῦτα μαθών' (v. 753). Similis sententia intercidisse videtur, atque invenitur in versibus 199 sqq.

Convivales versus.

A versu 757 versus convivales incipere, postquam supra statuimus, nunc quo iure id fecerimus quaeritur.

Ac primum quidem ipsum poetam sperasse fore ut carmina sua conviviorum usui inservirent, elucet e v. 239 sqq., quibus clarius ab ipso poeta exprimi non potuit, carmina sua ad cantandum destinata esse.

---

adn. 29. v. 719 sqq. Solonis sunt (cf. frg. 24 B), ubi paulum variati leguntur. v. 721—22 Horatius imitatur in epist. I, 12, 4—5. Horatium non ipsa Solonis verba sed collectionis Theognideae ante oculos habuisse, eo demonstratur, quod ad verbum transfert ‚ᾧ τὰ δέοντα πάρεστιν' verbis ‚cui rerum suppetit usus', cum Solonis fuerint verba ‚ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστιν' (cf. Plut. Sol. cap. 2). Etiam alio loco Horatium expressisse Theognidem, Porphyrio testatur ad epist. I, 1, 45: ‚hoc loco Theognidis versus imitatus est, qui ait eq. s. v. 173 sq.

Qui Theognidis versus cum celebres essent in populari philosophia, quae hac in re Cynicorum et Stoicorum morem imitabatur, et cum sciamus Horatium etiam aliis locis satirarum et epistularum has diatribas populares adhibuisse (cf. comment. Kiessl. edit.) etiam hos versus 721 sq. ut in suum usum transferret, dissertatione quadam philosophica eum commotum esse, pro certo affirmari licet.

,θοίνης δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν.
καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες
εὐκόσμως ἐρατοῖς καλά τε καὶ λιγέα
ᾄσονται.

Talia autem carmina, qualia erant Theognidea, veteres recitare consuevisse in conviviis, Clearchus Peripateticus tradit apud Athenaeum X, 457 c. Perstringit Clearchus poesin convivalem suae aetatis eique opponit pristinam his verbis: ,ἀλλὰ μᾶλλον τὰς τοιαύτας τῷ πρώτῳ ἔπος [ἢ] ἰαμβεῖον εἰπόντι τὸ ἐχόμενον ἕκαστον λέγειν, καὶ τῷ κεφάλαιον εἰπόντι ἀντειπεῖν ἑτέρου τινὸς ποιητοῦ, (ὃ) εἰς τὴν αὐτὴν εἶπε γνώμην. Quibuscum praeterea cf. Athen. 694bc: τὸ δὲ τοιοῦτον ᾖδετο, ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοι. ἐνταῦθα γὰρ ἤδη τῶν σοφῶν ἕκαστον ᾠδήν τινα καλὴν εἰς μέσον ἠξίουν προφέρειν, καλὴν δὲ ταύτην ἐνόμιζον τὴν παραίνεσίν τέ τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν χρησίμην εἰς τὸν βίον.

Nihil melius ad Theognideos versus quadrare potest, quorum argumenta sunt παραινέσεις τε καὶ γνῶμαι χρήσιμαι εἰς τὸν βίον.

Atque exemplum egregium huius rei exhibet Aristophanes in Vespis 1223 sqq.

,Ἀδμήτου λόγον ὦταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει·
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου γνοὺς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.'

De sententia primi versus cf. Theogn. 37 sq. 27. 1049. 1165, alterius cf. Theogn. 105. 854. 956.

Etiam disticha elegiaca cantata esse, Chamaeleon testatur apud eundem Athenaeum 620c: ,Χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδεω. Nihil enim impedit his Theognidem quoque adiungere, praesertim cum iam viderimus, eum persaepe una cum Phocylide et Hesiodo commemorari (cf. E. Rohde, Griech. Rom. p. 140 sq.).

Iam vero si ordinem singulorum carminum inde a v. 757 inspicis, cognosces, eum respondere rationi convivalis usus.

In initio enim posita sunt carmina, in quibus dei commemorantur, unde exordiri solebant symposia. Initium enim ducitur a precationibus et votis ad Iovem, Musas, Apollinem factis. (cf. Plat. conv. 176 A, Plut. quaest. conv. 1, 1, 6 sq.)

Etiam in sequentibus multi inveniuntur versus, quos aliorum esse poetarum certa habemus testimonia. Multi alii a Theognide abiudicandi esse videntur, de quo tamen nihil certi affirmari potest, multi alii reperiuntur ex prima collectionis parte repetiti, partim integri partim ita mutati, ut clare perluceat convivalis ratio [30].

Hac in parte Nietzschiana quoque ratio probanda est. Nam, ut ex Athen. cognovimus, cantica ita deinceps sese excipiebant, ut alter alterius sententiam vel verbum aliquod repeteret novisque additis augeret et continuaret.

Post deorum allocutionem fit initium a versibus 783—88 aptissime. Ad versus 787 sq. respondet alter symposiasta, qui patriae laudi opponit virtutis et sapientiae laudem. Nam prorsus sana est cod. A scriptura ,ἀντ' ἀρετῆς σοφίης τε', neque debuit Bergkius recipere Vineti coniecturam ,ἐρατῆς σοφίης'. v. 797 sq. optime se adiungunt ad v. 795 sq. Ad eandem sententiam pergitur in v. 799 sq. et 801—804 (quos cf. cum 25 sq.).

v. 805—820 inter se cohaerentes Theognidis genuini esse videntur versus licet interrupto sententiarum nexu.

Oppositos inter se cognosces v. 817 sq. et 819 sq., sed transponendi mihi videntur, quo facto optime perlucet oppositio. Diverse iudicant de fato (μοῖρα).

Ante v. 821 lacunam statuendam esse primo adspectu patet, cum nihil praecedat, cui respondeat illud οἱ δὲ (v. 821).

v. 823—836 coniungendi sunt a pluribus deinceps symposiastis prolati. Ex iis carminibus excerpti esse videntur, quibus querebatur Theognis de calamitate patriae et ipsius rerum.

v. 837—44 hilarius tractatur argumentum: vini laudatio. Oppositi sunt inter se 843 sq. et 837—842: his laudatur temperantia in vino bibendo, illis intemperantia.

v. 845—856 quoque ex carminibus excerpti videntur, qui ad res publicas Megarensium pertinebant, cf. cum v. 855 sq. Strab. IX, 8, 1: ,Πολλαῖς δὲ κέχρηται μεταβολαῖς ἡ τῶν Μεγαρέων πόλις' (cf. et. Arist. Polit. 570, 32. 562, 40. 567, 18 et Plut. quaest. Graec. p. 364).

---

adn. 30. Peccabant editores, quod versus in codd. repetitos omiserunt in editionibus. Primus E. Hillerus in IV. edit. Anth. lyr. recte versus repetitos suo loco intactos reliquit.

v. 857—872 comprehendendos esse patet, cum omnes sint de amicitia.

Quid significent v. 861 sqq. dubitant viri docti. Heimsoeth, de divers. mend. emend. comm. crit., p. 19, aenigma putat esse hos versus. Fortasse verum sensit.

Consentaneum est hos versus hic insertos esse, quod continent sententiam de amicitia (cf. οἵ με φίλοι προδιδοῦσι).

Loqui videtur meretrix (αὐλητρίς, ἑταίρα, ὀρχηστρίς): deserunt me amici (ἐρασταί) nec volunt mihi gratificari (ἀνδρῶν φαινομένων verba obscura); tamen ego pro vetere consuetudine (αὐτομάτη) vespertino tempore domo egredior (ad symposia) et matutino redeo.

v. 873—884 laus vini rursus canitur. Eadem laetitia exprimitur v. 885 sq. (κωμάζοιμι). Ad v. 886 (πολέμου) adiunguntur v. 887 sq. (μαρνάμεθα) et sequentes usque ad v. 894. v. 889 sq. oppositi sunt antecedentibus. — Γνώμης et συγγνώμης virtus laudatur versibus 895—902, ad quos alius v. 903—930 adiungit aliam virtutem, φειδωλίαν, laudans, quae eadem sententia continetur in v. 931 sq.

v. 933—938 quodam modo oppositi sunt prioribus versibus. Contracti sunt ex Tyrtaei eleg. 12, 37—42 (B): Opponitur enim pecuniae cupiditati ἀρετὴ καὶ κάλλος.

Qui sequuntur versus 939 sqq. omnium aptissimi sunt ad symposiacam collectionis indolem probandam. Persimilem enim excusationem symposiastae etiam in Platonis conv. invenis, cf.

Plat. Conv. 176 A.	Theogn. 939 sq.
Εἶεν, ἄνδρες, φάναι, τίνα τρόπον ῥᾷστα πιόμεθα; ἐγὼ μὲν οὖν λέγω ὑμῖν, ὅτι τῷ ὄντι πάνυ χαλεπῶς ἔχω ὑπὸ τοῦ χθὲς πότου καὶ δέομαι ἀναψυχῆς τινός.	Οὐ δύναμαι φωνῇ λίγ' ἀειδέμεν ὥσπερ ἀηδών· καὶ γὰρ τὴν προτέρην νύκτ' ἐπὶ κῶμον ἔβην.

Lamentantem symposiasten tamen paratum esse ad canendum, sequentes versus demonstrant:

„Ἔγγυθεν αὐλητῆρος ἀείσομαι κτλ.

et nunc sequuntur inde a v. 945 versus, quos canere sibi proposuit.

Recte Bergkius coniecisse mihi videtur v. 945—48 ex Solonis elegiis sumptos esse, cf. πολιτ. Ἀθην. cap. 12.

Ad quos 949—54 quoque adiungam et 955—970, ubi agitur de ingratis hominum animis. Solonem enim cum cessurus esset ex patria, talibus doloribus affectum fuisse, ex mutatione rerum publicarum Atheniensium colligi potest[31].

Sequentes versus usque ad 992 prorsus praebent indolem carminum, qualia ad potationem canebantur. v. 989—92 in unum coniungendi sunt, eandem exprimunt sententiam, iocandum et bibendum nobis esse, dum iuvenes simus.

Nunc alius symposiasta canere incipit et Academum quendam ad certamen vocat (cf. v. 995).

Argumentum certaminis proponitur v. 995: σοφίης πέρι, ut simillime invenitur in Plat. conv. 175c Ὑβριστὴς εἶ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὁ Ἀγαθών, καὶ ταῦτα μὲν καὶ ὀλίγον ὕστερον διαδικασόμεθα ἐγώ τε καὶ σὺ περὶ τῆς σοφίας, δικαστῇ χρώμενοι τῷ Διονύσῳ. (cf. aliud argumentum conv. 214b: ‚ἡμῖν, πρίν σε εἰσελθεῖν, ἔδοξε χρῆναι ἐπὶ δεξιὰ ἕκαστον ἐν μέρει λόγον περὶ Ἔρωτος εἰπεῖν). (cf. et. Xen. conv. III, 3.)

Praemium certaminis ioculariter proponitur παῖς καλός. Ac nunc inde a v. 997 argumentum propositum σοφίης persequuntur alternis vicibus, ita ut alter hilariora, alter severiora argumenta pertractet[32].

Athenaeus iam novit hos versus ac eodem quidem ac nos ordine legit, ut videtur, nam eodem loco et 993—996 et 997—1002 citat (cf. VII, 310b) et cum genuinos hos versus existimet, Theognidem accusat ἡδυπαθείας et παιδεραστίας.

Habemus his in versibus tanquam σύγκρισιν ἀρετῆς (σοφίης) et ἡδονῆς (πλούτου). Incipit defensor ἡδονῆς a versibus 997—1002 recte explicatis ab O. Cruegero l. l. p. 71. Ad quos respondet alter, defensor ἀρετῆς et σοφίης, versibus Tyrtaei ita mutatis, ut adaptentur consilio proposito in v. 995. In genuinis enim versibus Tyrtaei non invenitur ἀνδρὶ σοφῷ sed ἀνδρὶ νέῳ (cf. frg. 12, 13—16 B), quod multo melius in fortitudinis laudem quadrat. Respondet alter versibus 1007—1012 excipiens v. 1007 alterius ξυνὸν δέ. Contraria exprimuntur versibus 1013—1016, ad quos alter respondet versibus 1017—1026, qui coniungendi sunt. cf. 1015: πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι cum πτοιῶμαι (v. 1018)

adn. 31. v. 959—62 Callimachus imitatus esse videtur in epigr. XXX, 3—4.
adn. 32. v. 996 est imitatio versus Ananii iambographi cf. frg. 3, 3 (B).

et v. 1023: οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω, quo responderi ad v. 1015 apparet.

1023 sq. Mimnermi esse videntur Bergkio, eidemque etiam recte ut puto vindicavit 1007—1012, nam Tmolus est mons Lydiae, et Colophon Smyrnaque urbes, quarum alterutra erat patria Mimnermi, saepe expositae erant Lydorum incursionibus.

Ad v. 1025 sq. alter respondet v. 1027 sq.

Post v. 1038 sequuntur 853 sq. Differt hoc exemplum repetitionis a sequentibus, quod non in parte I, quam statuimus, syllogae sed ex parte II occurrit. Versus ipsos, cum per se non praebeant sententiam absolutam et perfectam, ex pristina cohaerentia sententiarum exceptos esse apparet, quae, qualis fuerit, subobscurum est. Primo loco, ubi occurrunt, pariter atque hic antecedit notio fraudandi (cf. v. 851/52) et haec causa esse videtur, cur etiam hic repetiti sint.

Tum rursus hilarioris vitae laudatio profertur ab altero (v. 1039—1042). Sed alter perstat in morositate sua et adhortatur, ut cubitum eant v. 1043 sq., quod ille reicit v. 1045—1048 iterum adhortatus ad commissationem.

v. 1049—54 virtus rursus commendatur ab altero, sed iniquo animo repudiat haec alter verbis ἀλλὰ λόγον μὲν τοῦτον ἐάσομεν (v. 1055) et hilaria cantica petit, quibus nescio an ullo loco clarius exprimatur altercatio inter duas vel plures personas. Sed praeceptivum sermonem alter rursus repetit, quod indigne tandem fert alter, cum ad v. 1061 sq.:

,οἱ μὲν γὰρ κακότητα κατακρύψαντες ἔχουσιν
πλούτῳ, τοὶ δ' ἀρετὴν οὐλομένῃ πενίῃ

respondet v. 1067 sq.

τί μοι πλοῦτός τε καὶ αἰδώς;
τερπωλὴ νικᾷ πάντα σὺν εὐφροσύνῃ,

quibuscum coniungendi sunt v. 1069 sq., et 877—78, qui in codicibus sequuntur post v. 1070.

Post hunc versum multi repetuntur versus e prima collectionis parte:

v. 1071—74 contracti sunt ex 213—18.

v. 1081ᵃ—82ᵇ ex v. 39—42 orti sunt. Post v. 1082ᵇ sequuntur v. 87—90.

Ut cantus alternus servetur et intellegatur, cur hi versus

hic repetiti inveniantur, versus sic transponendi sunt (sequor edit. Bergk.): v. 1071—74 = 213—18, quibus opponit alter v. 1079 sq., quibuscum coniungendi sunt 87—90 et 1083 sq. Vides quam falsum sit, omittere versus 87—90, quo facto non intellegi possunt 1083 sq. Tum sequuntur 1081^a—1082^b ex v. 39—42 compilati, quibus opponuntur 1075—78. Sic demum ordinati sensum praebent versus repetiti.

Amicitiae argumentum rursus repetitur v. 1085 sq.

Vituperatione, quae continetur his versibus, alter iratus exsecrationem emittit: ‚Κάστορ καὶ Πολύδευκες', quae vero statim mitigatur enuntiato relativo: οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ ναίετε (cf. Aristoph. Ran. 659: ‚Ἄπολλον, ὅς που Δῆλον ἢ Πυθῶν' ἔχεις).

Ad quae alter respondet, se fluctuare, num solvat amicitiam, qua utatur cum altero (v. 1091—94).

Alter vero paratus est ad tollendam amicitiam v. 1095 sq., cui alter respondet fore, ut facti eum poeniteat, v. 1097—1104. Mutilata est sententia 1101—2, cum desit apodosis. Ex antecedentibus fortasse ita suppleri potest sententia, ut dixerit poeta ‚poenitebit te audientem fuisse ei, qui ad solvendam amicitiam te adhortatus est'.

Post v. 1104 sequuntur 571 sq. et mutati v. 417 sq., quos per ironiam prolatos esse ab altero, demonstratur v. 1107 sq. Quae fuerit causa illius κατάχαρμα, explicatur sequentibus: ad paupertatem redactus est.

v. 1109—14 sunt imitatio versuum 53—58. v. 1102 sententiam v. 186 repetit. Cum his praeterea coniungendi sunt 619 sq. qui post 1114 repetuntur. v. 1115 sq. respondent ad antecedentes versus[33].

v. 1117 sq. rursus opponitur antecedentibus. Tamen alter laudat ἥβην καὶ πλοῦτον. Alter vero more suo de malis suis queritur v. 1123—28. Adiungitur v. 1123 (μή με κακῶν μίμνησκε) ad v. 1121 (κακῶν).

v. 1131 sq. sunt imitatio v. 527 sq.

In v. 1133 sq. tertia persona accedere mihi videtur, quae

---

adn. 33. Similis condicio rerum invenitur apud Hor. sat. II, 2, 106 sq.

‚uni nimirum recte tibi semper erunt res
o magnus posthac inimicis risus.
(Ὦ μοι ἐγὼ δειλός· καὶ δὴ κατάχαρμα μὲν ἐχθροῖς)

monet convivas, ut reconciliare studeant rixantes. At respondet alter, nihil aliud nisi Spem sibi solatium praebere v. 1135—50.

Versibus 1151 sq. rediri videtur ad illud, quod alter minatus erat v. 1095 sq., ne tolleret amicitiam malorum calumniis confisus. Sed perseverat alter in laudandis divitiis et voluptate, alter in temperantia et virtute cf. v. 1153 sq. et 1155 sq.

Tum tertia rursus persona litem dirimere studet in v. 1157 —1160. Quibus versibus finitur certamen inchoatum v. 993 sqq. Arbiter enim certaminis ita iudicat, ut pari pretio divitias voluptatemque ac sapientiam aestimandam dicat; utrumque enim ἄμαχον esse. Deinde alii symposiastae cantum excipiunt, ubi cum interdum responsorum vestigia non iam appareant, cum Nietzschio lacunas statuendas esse puto. Quo recentiores enim sunt codices, eo plura iterata omittunt. Quas lacunas ab satis antiquo tempore repetendas esse, recte monet Bergkius ad v. 1157 sq., in omnibus codicibus omissos et a primo Turnebo recte restitutos ex Stob. flor. 91, 26.

Inter se respondent 1161 sq. e vv. 409 sq. expressi, quorum versuum tanquam παρονομασία sunt (quos Plato sine dubio in mente habuit, legg. 729[b]: παισὶ δὲ αἰδῶ χρὴ πολλήν, οὐ χρυσὸν καταλιπεῖν) et v. 441—46 post 1162 repetiti. Bene enim haec inter se coeunt ‚αἰτοῦσι δίδου‘ ‚da petentibus‘ et v. 441 οὐδεὶς γὰρ πάντ᾽ ἐστὶ πανόλβιος. v. 1163 sq. respondent versibus 442 sqq., cum in utrisque laudetur σωφροσύνη.

Tum repetuntur v. 97—100 et 415—18, qui in eodem φιλίας et ὁμιλίας argumento versantur. Idem ἑταιρίας et ὁμιλίας argumentum continuatur etiam sequentibus versibus usque ad v. 1170. Tum laudatur γνώμη et ἀρετή, reprobatur ὕβρις et κόρος usque ad v. 1178. Post v. 1178 repetuntur v. 555 sq., qui cum sequentibus 1179 sq. cohaerent sententia ‚θεοὺς αἰδοῦ‘, quibus rursus oppositi sunt v. 1181 sq., non esse nefas tyrannum tollere (cf. scolion de Harmodio et Aristogitone).

Sequentibus agitur usque ad v. 1190 de νόος (σωφροσύνη) et δυσφροσύνη. v. 367 sq. post 1184 repetuntur contrarii quadamtenus antecedentibus (cf. δέ) v. 1187 est imitatio versus 727.

Deinceps cohaerentia sententiarum obscura est, privatae res his versibus tanguntur.

Tamen convivium et cantum continuari elucet ex v. 1203, 1207, 1217, et necessitudinem quandam cognosces inter v. 1203

(οὐδὲ κεκλήσεται) et v. 1207 (οὔτε καλοῦμεν), inter v. 1210 (πατρῴας γῆς ἀπερυκόμενος) et v. 1213 sq. (ἐπεὶ ἐκ γῆς φεύγομεν). v. 1217 sq. contrariam exprimunt sententiam versibus 1041 sq.

Finis certaminis excidisse videtur, cum v. 1219 sq. vix extremo loco positi fuerint.

Inde a v. 754 igitur nobis superest collectio carminum ita composita, ut convivali usui apta esset, quantum quidem colligi possit ex antiquis testimoniis de compositione talium carminum. Etiam hanc collectionis partem a Theognide non ita institutam esse, hoc iam patet cum ex versibus repetitis mutatisque tum ex eo, quod satis multa inveniuntur carmina, quae aliorum esse poetarum, certo constat. Collector igitur haec carmina ex genuino ordine eripuit eaque in speciem certaminis convivalis collegit et suum in usum ordinavit.

Alii versus ad verbum repetiti alii minus alii magis mutati sunt, cf. tabulam ad commodum usum institutam apud M. Schaeferum l. l. pag. 5.

Quot versus Theognidis ipsius sint, prorsus incertum manet, ex Mimnermo petiti sunt 1017—22, ex Tyrtaeo 935—38 et 1003—6 atque ita quidem mutati, ut adaptarentur principali sententiae.

v. 933—38 ex Tyrtaeo frg. 12, 37—42 contracti et variati ita sunt, ut sententia evaderet antecedentibus quadam ex parte contraria.

Indolem versuum inde a 754 diversam esse ab antecedentibus aliis quoque causis probatur.

Offendit primum hac in parte multo plures allocutiones certarum personarum inesse quam in antecedente.

Praeter Cyrnum, cuius nomen ad hanc quaestionem nihil valet, nominantur Θεότιμος quidam in v. 881, Ἀκάδημος v. 993, Δημῶναξ 1085, Ἄργυρις 1222, Τιμαγόρα 1059, et Σκύθα, 829, qui servus est οἰνοχόος.

Tum in hac parte non solum communes sententiae morales proferuntur, sed etiam multo saepius quam in parte I, res privatae et publicae tanguntur.

Accedit, ut ex LV locis apud Stob. ex Theognide citatis IX solum pertineant ad hanc partem eique ita comparati, ut generalem quandam exprimant sententiam.

Ex alia denique parte confirmari puto nostram opinionem.

Si enim accurate perlegeris eam partem, quae in solo codice Mutinensi traditur titulo praefixo ἐλεγείων β', videbis etiam hac in parte versus exstare partim ad verbum repetitos, cf. 949 sq. post 1278, 1101 sq. post 1278, 1107 sq. post 1318, 1151 sq. post 1238, 1243 i. e. 597, 1353 i. e. 301, partim plus minusve immutatos. Praeterea magnae versuum partes aut sententiae aut formulae dicendi et vocabula insignia repetuntur ex prioribus versibus. Accuratissime haec collegit et tractavit A. Corsenn (quaest. Theogn. 1887) et recte cognovit hos versus in compilatoris usum repetitos et mutatos esse, cf. praec. pag. 37, ubi sexaginta septem versus enumerantur in quibus imitatio fit versuum, qui iam in prioribus partibus occurrebant. Corsennus cum diligenter et uberius de hac re egerit, rem retractare nolo. Quicunque versus compilatori apti esse videbantur, eis usus est, etiam integra disticha recepit, dummodo suo consilio apta.

Sed etiam longius progredi licet. Si enim comparaveris, qua ratione usurpati sint versus partis I et II in hac collectionis parte, quomodo repetantur et mutentur, quomodo alieni versus adiungantur (cf. v. 1253 sq., qui Solonis sunt), et qua ratione versus partis I adhibeantur in parte II collectionis, videbis in tertia eandem fere rationem esse atque in parte II. Unde concludo, auctorem appendicis amatoriae et partis II collectionis eundem esse. Cum enim vidisset rem sibi ex voto cedere in parte II, hoc eum commovit, ut simili modo hanc eroticam partem componeret ad convivalem usum. Nam cui usui melius inservire potuerunt haec quam convivali? Ac mirum in modum superest etiam certum testimonium, quo demonstratur, versum 1365, sive Theognis sive vetustior poeta eum fecit, ad hunc usum usurpatum fuisse. In sepulcris enim Tanagraeis vasculum fictile inventum est, in quo pictum conspicimus hominem in pulvinari iacentem, cuius ex ore veniunt verba ὦ παίδων κάλλιστε (v. 1365). In altera manu homo tenet tibias, in altera κρόταλα, sub lecto lepus invenitur, signum amoris puerilis (cf. U. Köhler, Eine Illustr. zu Theognis, Mitth. d. d. arch. Inst. 1884, 1—4 et tab. I.)

Accedit, ut omnes versus, qui in hac collectionis parte ad verbum repetuntur, in parte II, quam statuimus, occurrant. Tum in universum ex multo minore parte II totidem versus repetiti et immutati inveniuntur, quam ex multo ampliore parte I. Hoc ostendere mihi videtur poetam multo magis in mente habuisse

partem II quam partem I[34]. Cuius rei quae fuerit causa, non difficile est dictu: magis novit partem II magisque haec eum delectavit, quod ipse eam ad similem usum composuerat.

Quod attinet ad tempus, quo orta sit haec appendix, nihil mihi obstare videtur, quin Hillero, viro doctissimo, assentiamur, cum dicat Fleck. Jhrb. 123 pag. 471: ‚Diese — scil. versus partis III — machen in der schlichten Eleganz der Darstellung, im Stil wie im Wortschatz, ebenso auch in der Art der homerischen Nachahmungen durchaus nicht den Eindruck, der alexandrinischen oder gar der römischen Zeit anzugehören', cui etiam Corsennus adsentitur. Si vero haec pars ante Alexandrinorum aetatem orta est, etiam pars II collectionis huic aetati adscribenda est, cum statuerimus unum utriusque auctorem fuisse. Amatoria autem appendix, cum nullus ex ea citetur versus apud ullum scriptorem posteriorem, mox ab reliqua collectionis parte separata esse videtur. Atque in promptu est cur interciderit: permultos enim versus non esse Theognideos multo facilius ex parte III quam ex parte II cognosci ac statui poterat. Nam prorsus abhorrebat ratio horum versuum ab indole eius poetae, quem virtutis fuisse magistrum ab antiquissimis temporibus traditum erat.

Hac enim in parte auctor collectionis omnino levi Musae se tradit, cum in parte II praeter nonnulla leviora plurima servent severam indolem poeseos Theognideae.

Athenaeus vel auctor eius hanc, quam habemus, collectionem novisse videtur iam omissa erotica parte. Citat enim, ut iam supra commemoravimus, solos vv. 993—1002, cum accuset Theognidem παιδεραστίας et ἡδυπαθείας. Si vero novisset eroticam appendicem sub Theognidis nomine traditam, certe ex hac potius versus attulisset.

Quo ab homine versus Theognidei sic usurpati, mutati, compositi sint, ut inveniuntur in parte II et III nostrae collectionis, in medio relinquendum est.

Auctorem partis II integriorem ante oculos habuisse Theognidem quam eum, qui in scholis ad usum didacticum usurpabatur, colligendum est ex multis versibus, qui ad res privatas et publicas poetae pertinent.

---

adn. 34. Auctorem partis II ampliorem collectionem novisse, quam quae v. 1—756 continetur, postea videbimus.

Vel propterea puto antiquis temporibus adscribendam esse hanc collectionis partem. Nam posterioribus temporibus homines eruditos in moralibus solum eius sententiis versatos esse, colligendum est inde, quod philosophi eum tractabant, et quod in sensum moralem poesis Theognidea definiri solebat.

Iam Isocratis temporibus ad hunc moralem usum usurpatum esse Theognidem et eiusmodi collectionem exstitisse, ex verbis eius in orat. ad Nicocl. 43 colligendum est. Idem testantur Plato legg. VII, 810ᵉ et Aeschines in Ctesiph. 135 in universum. Eos vero, qui optimos se esse gloriabantur virtutis magistros, sophistas, primos tales fecisse collectiones, Hippiae Elei exemplum demonstrat (cf. Clem. Alex. Strom. VI, 2, 15).

Neque ullus occurrit versus in Theognidea collectione, qui posteriorum temporum indolem habeat.

Itaque, ut brevibus complectamur, quae disputavimus, haec est nostra de compositione collectionis Theognideae opinio.

Ex genuinis Theognidis versibus iam quinto saeculo collectio facta est, cuius ordo is fuit, qui describitur a Platone verbis ‚ἐκ πάντων κεφάλαια ἐκλέξαντες καί τινας ὅλας ῥήσεις εἰς ταὐτὸ ξυναγαγόντες'.

Theognidea vero poesis, cum plurimas contineret sententias morales (cf. praec. versus ad Cyrnum scriptos) nescio an omnium aptissima fuerit ad hanc excerpendi et colligendi rationem. Iam tum adiuncti sunt alienorum (Solonis praecipue) versus partim mutati, ubi sententiarum cohaerentia postulabat, partim integri relicti. Iam tum etiam genuinos Theognideos versus mutatos esse in usum compilatoris ex alienorum versuum mutationibus colligendum est. Reliquiae talis collectionis supersunt in versibus 1—756.

Pars II et III compositae sunt ad convivalem usum. Plurima ex genuino Theognide hausisse videtur compilator, multos versus in suum usum mutavit, ut versus repetiti demonstrant, alios ex aliis poetis elegiacis vel mutatos vel non mutatos adiecit. Qui tres has collectiones in unam redegerit, sciri nequit.

EPIMETRUM.

Sophistarum doctrinis Euripides commotus esse videtur, ut tam saepe hanc de virtute quaestionem in tragoediis tractaverit. Tantum hac quaestiones apud eum valebant, ut iis plerumque locis eas insereret, ubi nexum sententiaram magis turbant ac retardant, quam quidquam conferunt ad progressum fabulae. Non ita vero Euripides has doctrinas respicit, ut ipse certam sequatur sententiam et doctrinam, sed diversas de eadem quaestione sententias diversis in tragoediis profert. Quae ipsius sit de hac illave quaestione sententia, nusquam fere patet, immo saepe fit, ut eadem sententia philosophica vel moralis, quae laudatur hac in tragoedia, in illa improbetur.

De virtutis doctrina exstare possunt tres opiniones secundum sophisticam rationem et doctrinam de notionibus φύσεως et ϑέσεως: ‚virtus est aut διδακτὴ aut non διδακτὴ sed ἔμφυτος, aut ἔμφυτος καὶ διδακτή.‘ Omnes hae rationes tractantur in Euripidis tragoediis. De ‚ἀρετὴ ἔμφυτος καὶ οὐ διδακτή‘ iam Hippolyti vv. 916 sqq. attulimus p. 18, de virtute ‚διδακτή‘ cf. Suppl. 911 sqq.

‚Τὸ γὰρ τραφῆναι μὴ κακῶς αἰδῶ φέρει.
Αἰσχύνεται δὲ τἀγάϑ᾽ ἀσκήσας ἀνὴρ
Κακὸς κεκλῆσϑαι πᾶς τις. Ἡ δ᾽εὐανδρία
Διδακτόν, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
Λέγειν ἀκούειν ϑ᾽ὧν μάϑησιν οὐκ ἔχει.
Ἃ δ᾽ἂν μάϑῃ τις, ταῦτα σώζεσϑαι φιλεῖ
Πρὸς γῆρας. Οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.‘

Axiomatis philosophici instar prolatum hoc vides ‚ἡ εὐανδρία διδακτόν‘.

Mediam viam inter duas contrarias sequitur tertia de virtutis doctrina sententia, qua quidem laudatur ἔμφυτος ἀρετή, sed δίδαξιν quoque permultum valere conceditur. Haec sententia invenitur in Hec. 592 sqq.

592 Οὔκουν δεινόν, εἰ γῆ μὲν κακὴ
Τυχοῦσα καιροῦ ϑεόϑεν εὖ στάχυν φέρει,

Χρηστὴ δ'ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν
Κακὸν δίδωσι καρπόν· ἀνθρώποις δ'ἀεὶ
Ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός,
597 Ὁ δ'ἐσθλὸς ἐσθλός, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί;
Ἀρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;
Ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
Δίδαξιν ἐσθλοῦ· τοῦτο δ'ἤν τις εὖ μάθῃ,
Οἶδεν τό γ'αἰσχρόν, κανόνι τοῦ καλοῦ μαθών.

Eadem sententia apud Platonem in Prot. 344[d] tractata est. Idem verbum συμφορά apud Platonem reperitur.

cf.

Eur. Hec. 597 sq.	Plat. Prot. 344[d].
Ο δ'ἐσθλὸς ἐσθλός, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο Φύσιν διέφθειρ' ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.	ὥστε τὸν μὲν εὐμήχανον καὶ σοφὸν καὶ ἀγαθόν, ἐπεὶ ἀμήχανος συμφορὰ καθέλῃ, οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν ἔμμεναι.

Contrariam sane Euripideae sententiam apud Platonem prolatam invenis: Euripides hoc loco consentit cum Antisthenis dicto ,τὴν ἀρετὴν ἀναπόβλητον ὑπάρχειν', Plato hanc sententiam reicit. In universum operae pretium erit philosophicas illas controversias, quae tractantur in Euripidis tragoediis, comparare cum ea ratione, qua eaedem tractantur in Platonicis dialogis. Permultum certe hoc conferret ad eas quaestiones certius cognoscendas, quae tum praecipue permovebant animos hominum. His demum annis hic fons pro merito aestimari coeptus est (cf. Wilamowitz, Herakl. I, F. Dümmler, Prolegomena zu Platons Staat). Certe appareret, multas doctrinas, quas Socrati vindicamus, iam antea a sophistis prolatas esse.

Sermo versus 597 Hecabes prorsus pedestris est, ac rursus ita nos afficit, quam si fuerit diatribae cuidam sophisticae inscriptus.

cf. e. g. Teles fr. I (Hense).	cum hoc Hec. versu 597.
Μὴ καὶ τὸ δοκεῖν ἀγαθὸν εἶναι τοῦ εἶναι κρεῖττόν ἐστι. Πότερον οὖν διὰ τὸ δοκεῖν ἀγαθοὶ ὑποκριταὶ εἶναι ὑποκρίνονται ἢ διὰ τὸ εἶναι;	Ἀρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν ἢ τροφαί;

Utroque loco argumentum, quod deinceps tractatur, praemittitur brevibus verbis.

Recte praeterea iam Dümmlerus in Prol. ad Pl. Rep. pag. 23 animadvertit, eandem comparationem hominis cum agro eiusque fertilitate apud Antiphontem sophistam inveniri (cf. frgt. 134 Bl.). At non probaverim Dümmleri sententiam, Euripidem cum Antiphonte consentire hac in comparatione, cf. l. l. ubi Dümml. dicit: ‚u. die Uebereinstimmung in dem noch dazu anfechtbaren Satz, dass das Gedeihen der Saat von der Gunst des Wetters abhängt, die Trefflichkeit des Menschen aber nicht von der Gunst der Umstände, ist auf keinen Fall zufällig.‘ Immo dissentiunt Euripides et Antiphon, nam Antiphon cum hominis naturam consentire cum fructuum natura dicit, contrarium dicit Euripidi. Maiorem similitudinem hoc Antiphontis fragmentum habet cum Supplicum loco supra commemorato. Sententia utriusque loci fere eadem est.

cf.

Antiph. frg. 134.

Πρῶτον οἶμαι τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ παίδευσις· ὅταν γάρ τις πράγματος κἂν ὁτουοῦν τὴν ἀρχὴν ὀρθῶς ποιήσηται, εἰκὸς καὶ τὴν τελευτὴν ὀρθῶς γίγνεσθαι.... καὶ ἐν νέῳ σώματι, ὅταν τις τὴν παίδευσιν γενναίαν ἐναρόσῃ, ζῇ τοῦτο καὶ θάλλει διὰ παντὸς τοῦ βίου.

Eur. Suppl. 916 sq.

Ἃ δ᾽ἂν μάθῃ τις, ταῦτα σῴζεσθαι φιλεῖ
Πρὸς γῆρας. Οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.

Quae Antiphontis fuerit sententia de virtutis doctrina, hoc, ut iam elucet ex frg. 134, melius etiam cognosci potest ex fragmento quodam, quod Blassius una cum aliis Antiphonteis nuper detexit in Iamblichi Protreptico (cf. Blass, De Antiphonte sophista, Iamblichi auctore, Kiel 1889). cf. Bl. frg. A, 3 = Protr. Iambl. ed. Pist. p. 95, 12:

Ὡς γὰρ ἁπλῶς εἰπεῖν, ὅτι ἄν τις ἐθέλῃ ἐξεργάσασθαι εἰς τέλος τὸ βέλτιστον, ἐάν τε σοφίαν ἐάν τε ἀνδρείαν ἐάν τε εὐγλωσσίαν ἐάν τε ἀρετὴν..... ἐκ τῶνδε οἷόν τε εἶναι ἐξεργάσασθαι. φῦναι μὲν πρῶτον δεῖν, καὶ τοῦτο μὲν τῇ τύχῃ ἀποδεδόσθαι, τὰ δὲ ἐπ᾽ αὐτῷ ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ τάδε εἶναι, ἐπιθυμητὴν γενέσθαι τῶν καλῶν καὶ

ἀγαθῶν φιλόπονόν τε καὶ πρωιαίτατα μανθάνοντα καὶ πολὺν χρόνον αὐτοῖς συνδιατελοῦντα· εἰ δέ τι ἀπέσται τούτων καὶ ἕν, οὐχ οἷόν τε ἐστὶν οὐδὲν ἐς τέλος τὸ ἄκρον ἐξεργάσασθαι· ἔχοντος δὲ ἅπαντα ταῦτα, ἀνυπέρβλητον γίγνεται τοῦτο, ὅτι ἂν ἀσκῇ τις τῶν ἀνθρώπων.

Unde cognoscitur Antiphontem item ac Xenophontem et Antisthenem plurimum tribuisse διδάξει (μαθήσει) et ἀσκήσει. cf. et. frg. B, 15—20 (Pist. 97, 1 sqq.)

Contrariam igitur doctrinam discimus ex frg. A ei, quam Dümmlerus Antiphonti supposuit, cum diceret l. l. p. 13: ‚aber sicherlich leugnete letzterer (Antiphon) die Macht der φύσις so wenig wie Euripides den Einfluss der παίδευσις.‘ Immo φύσιν, cum casui (τῇ τύχῃ) attribueret τὸ φῦναι, prorsus neglexisse videtur etiam in virtutis doctrina ac docuisse, δίδαξιν et ἄσκησιν solas valere. Eandemque vel persimilem fuisse omnium, veteris scholae quidem, sophistarum doctrinam virtutis, statuendum est ex tota eorum ratione: posteriores demum discesserunt ab hac doctrina in contrariam.

Itaque si apud Euripidem contrarias huic doctrinae sententias invenimus, hoc ex adversariorum partibus prolatum esse, pro certo affirmandum est, qui multa exempla adulescentium afferre potuerunt, quibus inanitas huius doctrinae argueretur. Tales sophistarum adversarios praeter Socratem et Platonem exstitisse apud populum, Menon dialogus testatur. cf. 95^{bc}.

Offendit eodem loco Gorgiam ipsum his adversariis adnumerari a Menone his verbis ‚καὶ Γοργίου μάλιστα, ὦ Σώκρατες, ταῦτ᾽ ἄγαμαι, ὅτι οὐκ ἄν ποτ᾽ αὐτοῦ τοῦτ᾽ ἀκούσαις ὑπισχνουμένου, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων καταγελᾷ, ὅταν ἀκούσῃ ὑπισχνουμένων· ἀλλὰ λέγειν οἴεται δεῖν ποιεῖν δεινούς.‘ cum in Gorgia dialogo prorsus contrarium inveniatur, cf. 460^{ae}, ubi Gorgias contendit, se virtutem quoque (ἀγαθὰ καὶ δίκαια) docere posse. Haec tamen difficultas ita tolli posse videtur, ut statuamus, coactum et tanquam in angustias adductum Gorgiam l. l. concessisse, se docere posse virtutem, quod contenderat antea, rhetoricam artem omnia efficere posse.

Hoc si minus verum, statuemus Platonem sub Menonis persona veram Gorgiae oppositionem contra alios sophistas ac praecipue quidem contra Prodicum industria depravasse. Hoc

Philostratus testari mihi videtur. Tradit enim Philostratus aemulationem quandam exstitisse inter Gorgiam et Prodicum, ac Gorgiam irrisisse Prodicum, quod talia protulisset, quae omnibus nota et trita essent, cf. Philostr. p. 483: ,Ὁ δὴ Γοργίας ἐπισκώπτων τὸν Πρόδικον, ὡς ἕωλά τε καὶ πολλάκις εἰρημένα ἀγορεύοντα ἐπαφῆκεν ἑαυτὸν τῷ καιρῷ' — irridendi notio (καταγελᾶν) etiam in Men. l. l. invenitur —. Gorgiam significare Prodici virtutis doctrinam, ea demonstrant, quae antecedunt apud Philostratum, quibus narratur Prodici de Hercule fabula, et de virtutis eius doctrina agitur. Quam inter Gorgiam et Prodicum controversiam Plato in suum usum ita convertisse videtur, ut sub Menonis persona contenderet, Gorgiam omnino virtutem doceri posse negasse. Talem vero aemulationem re vera exstitisse inter Gorgiam et Prodicum, pro certo habendum est, cum vix fieri potuerit, ut Philostratus id de suo finxerit. Propter id solum Prodicum impugnavit Gorgias, quod virtutis doctrinae primum tribuit locum, cum ipse hoc iam diu ab omnibus probatum esse contenderet, ac rhetoricam artem summum obtinere locum probare studeret i. e. τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.

Hippolyti fabula nescio an omnium Euripidis fabularum sit maxime idonea ad cognoscendum, quantum hac aetate Euripides sophistas eorumque doctrinas respexerit. cf. e. g. vv. 189 sqq., qui agunt de vita hominum post mortem, quam quaestionem illa ipsa aetate persaepe tractatam esse, cognoscitur ex fragmentis consolationum, quae dicuntur.

Tum cf. contrarias sententias, quae eadem in tragoedia proferuntur de amore. Cum enim nutrix prorsus sophistico more probet dominae amorem atque omnes defendat vias rationesque, quibus Phaedra uti possit ad amorem impetrandum, Phaedra neque minus Hippolytus, omnia reiciunt subsidia, quae speciem ipsam flagitii praebere possint. In his ideam boni perfectam esse, credat quis, quam Plato sua doctrina postea appetebat. Sed quod uterque intereunt, scepticam rursus sophistarum rationem sequitur Euripides. Nam haec est causa eorum interitus, quod ideam tanquam boni perficere student, quod modum excedunt eius boni, quod homines perficere possunt.

Contra sophistas pugnari patet vv. 486—89 ac contra rhetoricam quidem eorum doctrinam.

Sophistarum rursus vestigia premit nutrix in vv. 500—503,

Socratis vel Archelai (cf. Wilam. Her. I p. 24 adn. 43) doctrinam adcognoscas in v. 614:

,οὐδεὶς ἄδικός ἐστί μοι φίλος.'

vv. 948 sqq. Theseus impugnat veterem deorum opinionem (cf. Protagoras apud Diog. Laert.) quam defendit Hippolytus vv. sequentibus 983 sqq., quibus aperte etiam rhetorica ratio sophistarum impugnatur. Populum, inquit, pulchris verbis πείθειν student, cum vero ab eis, qui veram habeant scientiam boni, singula illorum dicta examinentur et explorentur (διαπτύσσω) nihil restat vere pulchri et boni: habes hic defensionem Socraticae doctrinae contra rhetoricam artem sophistarum. Similes sententiae sunt eis, quae proferuntur contra sophistas etiam acrioribus verbis in Oreste trag. vv. 902 sqq., Med. 580 sqq., Electr. 295 sqq. eaedem, quae notae sunt ex Platonicis dialogis cf. praec. Gorg. 454[b], 455[a], Phaedr. 267[a], Rep. IV, 492[a], Hipp. dial. (cf. et. Cleontis orat. ap. Thuc. III, 42).

Eadem est vituperatio, quae inde ab his temporibus remanet in philosophorum scholis contra sophistas.

Versibus 1104 sqq. inter se opponuntur contrariae opiniones de πρόνοια, qua in quaestione homines eruditos maxime tum versatos esse, testimonia habemus. Cum Prodicus perseveret in opinione προνοίας, Antiphontem sophistam eam negasse, Origines testatur adv. Cels., cf. Blass, Antiph. frg. 98: κἂν Ἀντιφῶν, ἄλλος ῥήτωρ νομιζόμενος εἶναι, καὶ τὴν πρόνοιαν ἀναιρῶν κτλ., quibuscum cf. Blass, de Ant. Iambl. auct. frg. A, 3: φῦναι μὲν πρῶτον δεῖν, καὶ τοῦτο μὲν τῇ τύχῃ ἀποδεδόσθαι, quod rursus probare mihi videtur Blassii coniecturam, Antiphonti vindicandum esse illud fragmentum.

Facere non possum, quin etiam hoc loco gratias agam Georgio Kaibel, qui, postquam hanc quaestionem tractare coepi, ut ad hunc finem eam adducerem, non modo me adhortatus est, sed etiam consilio suo optime adiuvit.

Index.

Strassburger Druckerei u. Verlagsanstalt, vorm. R. Schultz u. Co.

